
FIDES
SPES

[illegible]

[illegible]

[illegible]

a [illegible]

[illegible]

Quæstiones

ALEXANDRI APHRODISEI NATVRALES, De Anima, Morales: siue Difficilium dubitationum & solutionum Libri IIII. nunc primùm in lucem editi.

GENTIANO HERVETO Aureliano interprete.



Cum gratia & priuilegio Imperiali ad quinquennium.

BASILEAE.

MARCELLO CERVI
no, tituli sanctæ Crucis Cardinali amplissimo, Tridentini Concilij Legato, Gentianus Heruetus S. D.



Vàm doctus sit Aristotelis interpres, & quàm pulchrè & præclarè uniuersam Philosophiam suis commentarijs illustrauerit Alexander Aphrodiseus, nemo est in ijs studijs aliquantisper uersatus, qui nòn satis intelligat. Eius autem cum permulti extent libri, quorum plerique ferè omnes iam sunt in linguam Latinam traducti, meo quidem iudicio nullus est qui maiorem Philosophiæ studiosis utilitatem sit allaturus, quàm eius Quæstiones philosophicæ: in quibus quicquid ferè tã in naturæ & animæ contemplatione, quàm in morum componendorum ratione paulo difficilius occurrit, breuiter & dilucidè, subtiliterque & enucleatè

explicatum eſt. Eæ cùm neſcio quot abhinc annis in lucem Græcè exijſſent, & mihi inter legendum digniſſimæ uiſæ eſſent, quæ omnibus bonarum literarum ſtudioſis communicarentur, operæpreciũ me facturũ putaui, ſi eas latinè uerterem: ut qui græcè neſciunt, eum, aliena ſaltem lingua, ſi non tam ornatè & eleganter, at utcunq; tamen loquentem intelligerẽt. Is eſt enim Alexander, cuius ſi uel ſenſus tantum percipiatur, non parum ſit uel ad parandam, uel ad confirmandam eruditionem collaturus. Quanquam ego quidem in eis quæſtionib. uertendis ſedulò dedi operam, non ſolum ut ſentẽtiam, ſed & uerborum proprietatem ac dignitatem, quoad eius fieri potuit, exprimerem. Quod quidem quàm ſit difficile, ij demũ ſciunt, qui in uertendis ex aliena lingua libris ſtudiũ poſuêre. Ego quidem certè ſenſi experiundo, nõ cuiuſuis eſſe hominis,

ex bene Græcis, benè Latina reddere, & maximè in rebus philosophicis: in quibus lingua Latina alioqui locupletissima, mirum est quanta laboret uerborum inopia. Porrò autem cùm eas à me latinè uersas, in lucē edere statuissem, & tibi pro summo tuo in bonas literas ac disciplinas amore & studio, id non iniucundum fore existimassem, sub felicissimis tui nominis auspicijs emittendas censui. Vidi enim, uidi, nec sine mea maxima uoluptate uidi, ut totus animo gestias, & propemodum exultes, quoties ueterem aliquem scriptorem, aut nuper repertum, aut excusum, in publicum exijsse audieris. Nec me fugit, quantam diligentiā adhibeas, & quàm magnos sumptus facias, in describēdis omnis disciplinarum generis exemplaribus: quamq; sis sollicitus, ne quæ à summis olim ingenijs, maximis laboribus & uigilijs ad omniū hominum

utilitatem conſcripta ſunt, ea aut ferreis capſarum compedibus conſtricta marceſcant, aut à uermibus & tineis eroſa intereant. Hunc autem meum laborem, ſi æqui boni conſulueris, nec tibi ingratum eſſe præ te tuleris, ego me lucubrationum mearum uel maximum fructum cœpiſſe putabo. Vale, Tridenti.

LIBRI PRIMI
Capita.

1 *Per quæ nam probauerit quispiã primam causam, ex sententia Aristotelis.*
2 *De colore nonnulla.*
3 *Quorum nam sint definitiones.*
4 *Commẽtatiuncula in dialogo differens de eo, quòd si omnia fato fiant, tollatur & quod fie ri potest, & quod contingit.*
5 *Cur auctio in forma tantum, & nõ in materia.*
6 *Quomodo si aqua per frigiditatem, magis est aqua quàm per humiditatem, eius quidem in calidum ex frigido mutatio ipsam non corrumpit, ex humido autem in solidum corrumpit.*
7 *Quomodo non contraria magnum & paruum, si in contraria quidem fit mutatio: quod autem augetur & minuitur, in ea mutatur.*
8 *Ad hoc quòd non sit forma in materia, ut in subiecto.*
9 *Quomodo non bonæ habitudini morbus magis opponitur, quàm mala habitudo.*
10 *Quomodo si quatuor sunt causæ, non erit in diuinis etiam corporibus subiectum, materia.*

21 *In quo prædicamento est motus.*

22 *An quod in aliquo mouetur, per priorẽ ipsius partem primum mouetur.*

23 *Quòd si terra sit corruptibilis, non contingit ipsam etiam simul aliquando corrumpi.*

24 *Expositio eius quod in 1. Naturalis auscul. in fine ab Aristot. dictum est, quod inuenta materia etiam antiquorũ dubitationes soluerit.*

25 *Quædam quæ ad ea, quæ de prouidentia dicuntur, conferunt.*

26 *Quomodo forma in materia, utrum per se, an per accidens.*

Libri II. Capita.

1 *Quòd ijs qui magnitudinem & tempus ex indiuisibilibus componunt, sequitur, ut quæcũq; mouentur, in indiuisibili æqualiter moueantur.*

2 *Expositio eius quod in primo De anima ab Aristot. dictum est, ad refellendum, animam non esse per se mobilem.*

3 *Quæ nam ex diuini corporis motu facultas immittitur ei quod illi propinquum est, mortali, & in generatione, corpori.*

4 *Quòd si id quod est in nobis, cuius oppositũ est, Non in nobis, nec ipsum in nobis est: nec, quod est quidem in nobis, in nobis erit.*

5 *De eo, quod id etiam quod est in nostra potestate, fato est.*

Libri III. Capita.

De

Libri IIII. Capita.

non

non

FINIS.

ALEXANDRI APHRODISEI NATVRALIUM DIFFICILIUM DUBITATIONUM, & solutionum, Liber I.

PER QVAE NAM PROBAVERIT *quispiam primam causam, ex sententia Aristotelis.* I.



I substantiæ sunt omnes corruptiles, erunt omnia corruptilia. Alia enim à substãtia separari nõ possunt. Non sunt autem omnia corruptilia, neq; omnes substantię corruptiles: non omnia autem corruptilia, quòd fieri non posit, ut sit motus corruptilis. est enim æternus. Si is enim sit motus, qui generetur: quoniam quicquid fit ab aliquo, etiam ex aliquo fit: essent iam ea etiam ex quibus aliquid, motus. Sed si ita quidem haberet, ut nec quod agit, nec quod patitur, ad hoc ut illud quidem agat, hoc uerò patiatur, aliqua mutatione egeat, esset iam motus, & non fieret. Si quid autem esset quod eis impedimentum afferret, oporteret aliquem motũ fieri, ut hoc quidem ageret, illud uerò pateretur, & ex ijs motum fieri: sic autem necesse erit,

rit,antequam fiat motus, esse motum qui nõ generetur. Sed motus est in eo quod mouetur. Quare & æternus in eo,quod in æternũ mouetur. Neque enim fieri potest,ut aliquid æterno motu moueatur, quod nõ sit æternũ. Si quis enim dicat æternũ esse motum, quòd aliud ex alio eũ corpus suscipiat: primum quidem nõ continuũ motum faciet, & unũ. Si enim cõtinuus, cũ unum sit quod ipso mouetur, continget adhuc motum deficere: nisi aliquid aliud, cũ sit æternũ, recto ordine procedẽtis, & definitę eorũ quę mouẽtur, successionis causa sit, nẽpe æternũ corpus, quod æterno motu mouetur. Atqui continuus & æternus solus est ex motib. qui circulariter fit, motus. Quod eo ergo mouetur, est ęternũ. Et est omniũ corporũ optimũ. Quod enim est æternũ, iis quę nõ sunt ęterna, est melius. Et quod motu, qui est omniũ primus, mouetur, est animatum. Animatũ enim corpus est inanimato melius. Quod autẽ circulari motu mouetur, est optimũ corpus: quare & animatũ. Quod est enim omniũ corporum optimũ, est animatum. Quod circulari autẽ motu mouetur corpus, est eiusmodi. Iam uerò quicquid mouetur, ab aliquo mouetur: & quod per animam ergo mouetur, id uniuersum ab aliquo. Si autem, quod per animã mouetur, propter appetitionẽ mouetur: appetitio autẽ, propter ali-

cuius

cuius desiderium. Quare & æternũ corpus propter appetitionẽ & desideriũ motũ fuerit. Cũ est aũt id quod propter appetitionẽ & desiderium mouetur, oportet esse quoq; aliquid, q dum ipsum desiderat, ęterno motu mouetur, q sit ipsum quoq; æternũ, & actu. Quæcunq; enim res est alicuius motrix, ea ut actu sit aliquid, & moueat oportet. Et q semper & cõtinuò mouet, idẽ semper erit actu, & erit omnino facultatis seu potentię expers. Si erit enim potẽtia, fieri poterit ut & motus corrũpatur, cùm nõ sit actu, quod ipsum sit moturũ. Sed & immobile erit. Si enim hoc etiã motũ mouebit, ei quoq; rursus aliquo alio opus erit, q moueat. Sed si est immobile, ẽ & incorporeũ. Omne enim corpus, quatenus est corpus, mobile. Erit ergo aliqua æterna substantia, simplex & actu immobilis illius, q circulo fertur, corporis, æterni & cõtinui motus. Ab ipsa aũt mouebitur diuinũ corpus, q & ipsam intelligat, et ipsius similitudinis appetitionẽ & desideriũ habeat. Quicquid enim ab aliquo immobili separato mouetur, hoc modo mouetur. Hoc in resolutiõe ostẽditur. Neq; enim fieri potest, ut sit primi principij demõstratio: sed oportet, cũ à posterioribus & manifestis inceperimus, per conuenientiã quæ est ad ea, resolutione utentes, illius naturã cõstituere. Quod aũt & prima intelligibilis, & maximè

& primo appetenda, & eius, qui circulariter fit, motus, maximè mouens forma est, hinc ostendatur. Propriè intelligibile forma est. Materia enim, quæ nihil est eorũ quæ acta sunt, per proportionem & conuenientiam est intelligibilis, & ut Plato dicit, ratiocinatione. forma autem est intelligibilis, quæ actu aliquid est. Et ex formis magis est intelligibilis, quæ est in substantia, quàm quæ in aliquo alio, eo quod magis. Et earũ quæ sunt in substantia, quæ est maxime simplex, & semper actu est. Ea enim est maximè intelligibilis, & quòd maxime sit id quod semper est actu, & quòd sua ipsius natura sit id quod est simplex: et simplex est maximè intelligibile. Quę enim sunt in compositis, tunc sunt intelligibiles, quando eas intellectus separauerit ab ijs in quibus sunt: & in eis, sicut in simplicibus, uersatur. Talis autem est, quæ uniuersi est motrix, substantia. Est ergo maximè intelligibilis. Atqui & est maximè appetenda. Maximè enim quod sua ipsius natura est expetẽdum, suaipsius est maximè pulchrum. Hæc autem est eiusmodi. Pulchrũ enim in forma magis est, quàm in materia. Magis enim in eo est ꝙ agit, quàm in eo quod patitur. Et est, quod patitur quidem, id quod est potentia. Quod agit uerò, id quod actu est: & in definito magis est, quàm in indefinito. In forma autẽ pul

chrum

chrum magis est, quàm in materia: & in forma, quæ est in substantia, magis quàm in ullo alio genere. Propter hanc enim sunt & alia. Et eorum quæ sunt in substantia, id quod est & simplicissimum, & expers potentiæ, est etiam pulcherrimum. Talem autem esse prædictam naturã, ostensum est. Ea enim ergo proprie, & primo appetenda, & intelligibilis.

De colore nonnulla. 11

Colorem definit Aristoteles, finem definiti perspicui, quatenus perspicuum. Corporis enim, quatenus quidem corpus, finis est superficies: quatenus autẽ perspicuũ, color. Quare & iam color quoq; simul est cũ superficie. Quoniam enim cuiusuis corporis, ut corporis, finis est superficies: & quod perspicuum quidem est, corpus est: & huius finis est corporis superficies. Est autem & eius, ut perspicui, finis, color. Et simul sunt ambo ipsius fines. Si quidem non sunt ijdem inter se inuicẽ fines. Quoduis enim corpus est in superficie, & cum superficie: sed non omnis superficies cum colore: quia nec omne corpus perspicuum definitũ. Perspicui enim corporis hoc quidem est definitum, illud uerò indefinitum. Indefinitum enim est corpus: cuiusmodi sunt aer, & aqua, quod nec superficiem propriam, nec determinatam habet. Definiuntur enim humida, & indefinita corpo-

 ra, ijs

ra,ijs quæ continent. sic ergo nec proprium habent colorem: sed id est quod alienos colores subministrat,&,tãquam figuras, suscipit. Et coloris expers meritò fecit natura, id quod est alienis coloribus subministraturũ,perspicuum. Perspicuum quidẽ,ut possit colores suscipere: indefinitum aũt,et coloris expers, ne proprius eius color,mixtione, quę fit cum ijs quæ per ipsum uidentur,impediat ne ea uerè ostendãtur. Id autẽ quod est in definitis,& solidis, ut definitũ habet id quod est ueluti corporis figura & finis. Sic uerò & quod ut perspicui. Et est ut ipsius perspicui finis,color. Color enim finis est definiti perspicui: neque enim quoduis est corpus perspicuũ. Nempe nec est quoduis eiusmodi, ut possit colores suscipere. Nec est quoduis perspicuũ definitũ. Quæ autẽ sunt in profunditate definitorum perspicuorũ,ita habẽt colorẽ,ut & superficiẽ & figuram. Atque definitorũ quidẽ perspicuorũ, hæc quidẽ magis,illa uerò minus talia sunt. Maximè enim perspicua sunt splẽdida & alba corpora: cuius naturæ ignis est. flauus enim, aut rufus,fumi, qui niger est, mixtione apparet. Sunt autẽ secundò & tertiò perspicua, prout est eorum ab ipso distantia. Quęcunque autem corpora nigra sunt,ea cùm sint in priuatiõe, colore & perspicuitate priuata sunt. Quia enim ex ijs quæ sunt,color est,& ex ijs quę esse

in alijs sua natura apta sunt, oportebat etiam aliquod esse corpus in quo esset color. Et hoc est perspicuũ corpus. Hoc enim est proxima coloris materia, quod, cùm sit actu perspicuũ, ipsum habet actu. Quod autẽ potẽtia perspicuum est, tanquã materia, colores inter se contrarios, & eorũ intermedios potest suscipere. Et in omni corpore ꝙ habet colorem, uel potest colorem suscipere, mixta quoq; est perspicui natura. In quib. ergo corporib. perspicuis perspicuũ in seipsis habẽtib. est manifestus & determinatus finis, (hoc est aũt in solidis) in ijs est manifestus & proprius color. Et in ijs solis est, ꝙ propriè color dicitur. Et magis in ijs, in quib. id magis est. Quod aũt perspicuũ indefinitũ est, nullũ quidẽ habet propriũ nec definitũ colorẽ, quòd propter raritatẽ nullũ cõprehẽdere & cõtinere possit: sed ꝙ alienos potest colores suscipere, & eis inseruire, nullũ quidẽ eorũ passiuè recipit: sed ab ijs quæ propriũ habent colorẽ, per pręsentiã, & quandã ad eos habitudinẽ, motum, facit ut uideãtur per motũ, qui fit ab ijs qui sunt in illis, coloribus, dũ subseruit animalibus, quę sunt uidẽdi facultate pręditæ, ut colores per ipsum appræhẽdãt. Hoc aũt potest agere perspicuũ in luce, à qua primo per pręsentiã eorũ quę illuminãdi naturã habẽt, motu est aliquid patiẽs, & tã quã propriũ colorẽ suscipiẽs. Neq; enim is est

proprius eius color:ſed donec quidem illi ad eſt id,cui illuminare à natura datum eſt, lucẽ habet.Poſtquam autem receſſerit, & quæ in eo lux eſt,ceſſat. Si illuminatum itaq; fuerit, aliorum colorum qualitates & differẽtias ſuſcipit,non ſecus ac lux quoq; ſeruit uiſui: qui eſt & ipſe ex corpore ſimiliter perſpicuo per affectionem quę fit in uiſu,ab eo quod eſt extra ipſum,perſpicuo,quo prædictum eſt modo, à colorũ præſentia moto. Sicut autem in indefinito perſpicuo,& quod propter raritatem nullum colorẽ paſsiuè recipit, illius quidem præſentia,cui illuminare innatum eſt,lucis cauſa eſt:abſentia autem,tenebræ: ſic & in definitis corporibus amplior quidẽ mixtio & præſentia eius, quod eſt maximè perſpicuum,corporis(tale autem eſt,cuius eſt proprius albus color: is eſt enim maximè color, & qui maximè uideri poteſt)&, ut magis colorentur,corporibus cauſa eſt, & ut ſint magis ſpectabilia.Illius autem abſoluta abſentia nigri cauſa eſt,quod coloris priuationi eſt ſimilius,quàm colori. Qui ſunt autem intermedij colores,per quãdam eorum quæ ſunt perſpicua,& quæ non eiuſmodi,mixtionem, ſuam generationem habent & differentiam. Eſt autem ſimplicium quidem corporum ignis maxime ſpectabilis, & ſua natura: & eſt eiuſmodi, ut dixi,perſpicuũ, ut aerem etiam illumi-

illuminare poſsit:& ſuam,quatenus eſt, perfectionem tribuit. Lux enim eſt perfectio & forma indefiniti perſpicui, quatenus eſt perſpicuum. Terra autem minime eſt eiuſmodi. Horum autem inter ſe mixtione, & eorum quæ ex illis fiunt colorũ,qui ſunt præter primos,(primi autem ſunt in ſimplicibus & primis corporibus) fit generatio & differentia. Sicut enim in odoratu alia quidem habent in ſeipſis odorem, quæcunq; talem habent generationem & conſtitutionem, cuiuſmodi eſſe dicimus odorem generatiuum: aliud autẽ eſt per ſe quidem odoris expers, & nil penitus redolens, quod tamen ſuſcipere poteſt & oſtẽdere odores, qui ſunt in alijs: & ideo Græcè ἄοσμον, id eſt odore uacuum appellatur: ſic & color habet quidẽ definita perſpicua (hæc eſt enim coloris natura) eſt autem & coloris ſuſcipiens & ſubminiſtrans, quod ſua eſt natura coloris expers. Id uerò eſt indefinitũ perſpicuũ. Sicut ergo interrogati, quid eſt ſuperficies, dicimus, ſolidi finis: ſic &, quid ſit color interrogati, rectè dixerimus, eum eſſe finẽ definiti ſeu determinati perſpicui. Quam enim rationem habet ſuperficies ad definitum corpus, eam habet rationem color ad perſpicuum definitum. Melius locata eſt hæc quæſtio in libro qui inſcribitur, Dictionum aliquarum ex libro De ſenſu & ſenſibili

interpretatio & pertractatio.

Quorum'nam sint definitiones. 111

DEfinitiones singulariũ quidẽ, seu indiuidorum nõ sunt: quòd ea cum qui busdã accidentibus, ut eiusmodi sint, habeãt, quæ quidem non sunt semper eadem, sed accedunt, & recedunt: & sensu potius quàm ratione, quæ ea sit declaratura, indigent: nec alicuius communis à singularibus separati, & quod est incorporeæ & æternæ naturæ. Quo modo enim fuerit bipes incorporeũ quidpiã, uel quomodo mortale æternũ? Dicimus autem definientes hominem, aliquando quidẽ, Animal pedestre bipes: aliquando autẽ, Animal rationale mortale. Sed sunt definitiones eorum, quæ sunt in singularibus, communiũ uel singularium, per ea quæ sunt in ipsis communia. In singularibus enim hæc quidẽ sunt propria, & singularia: illa uerò communia, & quę mutuum ad se inuicem respectũ habent: quæ cum in omnibus, in quibus insunt, sint cõmunia, nec aliquid differant, ut etiã secundum ipsorũ naturam similis & eiusdem sint naturæ, quæcunq; ea habent, causa sunt. Illud enim, animal rationale mortale, cum materialibus circũstantijs & differentijs, cum quibus est eorũ substãtia, quæ sunt alius aliæ, Socratẽ facit & Calliã, & singulares homines. Sin aũt

seorsum ab iis accipiatur, commune fuerit, non quod non sit in unoquoq; singularium hominum: cum iis enim sunt singulariũ propria: sed quod est in omnibus idẽ, quod quidem tale est, & sic commune. Quare multis singularibus definitiones idem. Quamobrem nec incorporeæ alicuius naturæ, & à singularibus separatæ, talium sunt definitiones. Hominis enim definitio, Animal pedestre bipes, commune est, ut quod sit in singulis hominibus, & est integrum in unoquoq; cõmune, quod idem sit in pluribus, non autem ipsius partis sit particeps unumquodq;. Vnusquisq; ergo homo est animal pedestre bipes. Quare nec communiũ, ut communium definitiones: sed eorũ quibus esse cõmunia in unaquaq; natura euenit. nam etsi unus homo solus existat, eadem est hominis ratio. non enim ex eo quod est in multis, hæc est eius ratio: sed quòd secũdum talẽ naturã homo, homo est, siue sint plures quib. hæc sit natura cõmunis, siue non. Dicuntur autem mentis cõceptuum, & cõmunium definitiones: quòd mentis quidem sit, hominẽ ab aliis cum quibus subsistit separare, et per seipsum accipere. Eius autem quod cum aliis quidem subsistit, sine illis autem mente cõcipitur, & sine aliis, & non ut subsistit, definitio, mentis conceptus esse uidetur: & communis, qui seorsum

ab

ab ijs quæ accidunt,id eiusmodi, quod in unoquoq; mente concipitur, commune quid est,& in pluribus idem. Sunt autem incorruptilia communia, propter singulariũ,in quibus sunt,ex successione æternitatẽ. Eo enim, quod in singularium omnium est generatione,simili & eodem manente ea sunt. Eiusmodi enim sunt communia, non quæ sunt in ijs solis,quæ inter se inuicem simul sunt, & propterea sunt communia:sed quæ sunt in omnibus,quę sunt eiusdem speciei. Quare nihil uetat, quo minus quod est mortale, sit æternum. Quod mortale enim est, ut singularia, est æternum.

Commentatiũcula in Dialogo differens de eo, quòd, si omnia fato fiant, tollatur & quod fieri potest, & quod contingit.

IIII

Nvnquid tibi uidentur, quæ per caussarum seriem fiunt,ita fieri, tanquam & eorum omnium præstitutæ & præordinatæ causæ sint,& ex necessitate unumquodq; eorum sequatur præstitutam & præordinatam causam. Quî enim fieri potest,ut aliter dicãtur fieri,quæ hoc modo fiant? Quod autem ex necessitate causam aliquam definitam ac præstitutam sequitur, an non tibi uidetur ab ipsa esse impeditũ, ne aliquo alio modo fiat

uel se habeat, quàm iuxta eam quæ est ad ipsam, consequentiam? Et hoc quoq; uidetur. Atqui, quod non fit, eo quod fit fieri prohibitum, non dicatur fieri posse ut illud fiat: siqui dē quod fieri potest, esse potest ut fiat, si non fit impeditum. nam apud eos, quorum sententia id potest fieri, quod non est prohibitum, quod prohibitum est fieri, fieri non poterit. Hoc autem fieri prohibitum est. Et hoc mihi quoq; rectè uideris dicere. Sed si hęc hoc modo tibi rectè habere uidentur, apertum est te id quoq; concessurū, quod est ijs consequēs. Id autem est, quod eorum quæ per causarum seriem fiunt, & per præstitutas & prærordinatas causas, nihil aliter fieri potest. Huic autem posito consequens fuerit, ut ijs quorum sententia omnia fato fiunt, ea solum fieri possint, quæ fiant: & id quod non fit, ideo non fiat, quod id fieri sit prohibitum à præstitutis eorum quę fiunt causis. Quid ni enim ea concesserim, quæ iam prius concessi? Atqui à nobis positum fuerat, & quòd, quæ hoc modo fiunt, fiant ex necessitate. Positum fuerat. Quibus hoc rursus fuerit consequens, ea sola fieri posse, quæ ex necessitate fiant. Si enim ea sola fieri possint quæ fiunt, quòd nō prohibita sint: quæcunq; autem fiunt, per causarum seriem fiunt. Quæ ita autem fiūt, ex necessitate fiunt: manifestum est, quòd ea sola fiunt,

fiũt,quæ ex necessitate fiunt. Rectè dicis. Atqui ijs quibus omnia fato fiunt, id solũ fit, quod fit ex necessitate: adeò ut eorum sententia,hæc solum,nempe hoc est,uel hoc erit, fieri possint. Necesse est. Atqui, quæ ex necessitate fiunt,fieri non potest,quin fiant. Quod enim fieri potest ut non fiat,contingit & hoc non fieri. Quod autem contingit nõ fieri,fieri potest ut non fiat. Quare quod necessariò fit,fieri non poterit,quin fiat. Rectè dicis. Sed si fieri non potest,ut non fiat, id quod necessariò fit,solum erit eiusmodi, ut fieri possit: quod cum est necessarium, non fit. Et sic erit ei, quod necessario fit, consequens, ut necessariò non fiat: siquidem, quod fieri quidem potest, potest etiam fieri, ne fiat: de eo autem solo quod fit necessariò, id quod fieri potest, uerè dicitur. Quo existente absurdo, ijs qui omnia fato fieri dicunt, consequens fuerit,ut id solum fit quod fieri potest,quod ex necessitate fit: id autem quod ex necessitate, non ut id quod ui fit, accipiatur, sed ut id, cuius oppositum est, id quod fieri non potest. Atqui ex eorum solorum sententia, qui omnia fato fieri dicunt, non diuersum quid fuerit ab eo quod fit necessariò,id quod fit,neque quod ex necessitate fit. Neque est id quod ex necessitate quidem fit,ut aiunt,quod fit ui. Quod necessariò autem,

autem, id quod ex causarum consequentia. Id autem ex eo manifestum est, quod nec ui quidem aliquid fieri posit, ijs quorum sententia omnia fato fiunt. Si autem quæ fato fiunt, per causarum seriem fiunt, & per diuinum quendam ordinem: nihil autem eorum quæ per talem ordinem fiunt, ui fit: nihil ergo eorum quæ fato fiunt, ui fieri posit. Nam etsi qui non uidentur, ea quæ in se fiunt, æquo animo ferre, id quoq; à fato & à diuina ordinatione habeant. Quid enim aliud ab ijs dici potest, qui omnia quę fiunt, per ineuitabiles & immutabiles causas fieri dicunt: idq; fatum appellant? Si enim dicatur fatum quædam facere eiusmodi; quæ causis sine ui morem gestura nō sunt, à diuina ordinatione omnino alienum uideri posit. Si ergo omnia fato fiunt, ui aliquid fieri perimitur. Nā hoc quoque ex distributo ordine factum fuerit. Conuenienter enim eorum opinioni, qui sic omnia fieri dicunt, ipsum quoq; nolle sequi id quod agit, fato erit. Quod quidem quî fieri potest, ut non sit à ratione alienum penitus, dicere, à præstitutis causis coactos esse aliquos ijs aduersari & resistere, quę necessariò fiunt? A' ratione quidem alienissimum. Nam & his accedit, quod si quæ fato fiunt, ea per prouidentiam quoque fiunt. Quomodo aūt fieri non potest, ut sit rationi consen-

consentaneum, ut quidam repugnent & aduersentur ijs, quæ rectè & ex ordine fiunt per prouidentiam. Rectè dicis. Nam si necesse est hæc non fieri, quod fieri prohibita sint, ea non fiunt, nec ea sunt conditione ut fieri posʃint: siquidem tunc est aliquid eiusmodi ut fieri posʃit, quando non prohibetur fieri. Rectè dicis. Quæ ergo necesse est non fieri, ea fieri non potest ut fiant. De quibus autem possunt, qui non futura esse prædicũt: uerum dicere, ea non fieri, necesse est: siquidẽ de quibus ut futura prædicens quispiam uerum dicit, ea fieri necesse est. Quomodo enim alioqui de quibus fieri potest, ut qui prædicit nõ esse futura, uera dicat, ea ut fiant fieri non potest? Qui enim fieri potest ut ea fiant, quorum opposita ex necesʃitate fiunt? Sed si de omnibus quæ præter fatum fiunt, fieri potest, ut qui non esse futura prædicit, uerum dicat, eorum quæ præter fatum fiunt, fieri non potest ut quicquam fiat. Rectè dicis. Atqui etiam de quibus potest, is qui futura esse prædicit, uerum dicere, ea fieri, necesse est. Quæ autem fieri necesse est, ea non possunt nõ fieri. Neq; enim fieri aliter potest. De quibus ergo fieri potest, ut qui prædicit futura esse, uera dicat, ea non possunt non fieri. Et de omnibus quę fiunt, possunt qui futura esse prædicunt, uerum dicere: quomodo enim ut aliter dicatur, posset

posset contingere? Eorũ ergo quæ fato fiunt, non potest aliquid non fieri. Non potest. Sed si quod fieri potest, ut nõ fiat, etiam fieri potest: eorum autem quæ fato fiunt, nihil est quod etiam fieri non poßit: nihil eorum quę fato fiunt, est eiusmodi ut poßit fieri. Qui enim fieri potest, ex eorum quidem sententia, qui omnia fieri fato dicunt, quibus nihil eorum quæ fiunt, fieri potest ut non fiat? Ostensum est autem, quod & eorum quæ sunt prę ter fatũ, nihil fieri potest: nihil est ergo quod poßit fieri. Siquidẽ, quicquid est, uel fato est, uel præter fatum. Neutrum autem eorum est eiusmodi, ut poßit fieri. Nam si quod fato fit, posse fieri quis dicat, quod necessariò fit, posse fieri dici posset: sed si quod fieri potest, potest etiam fieri ut nõ fiat, quod necessariò fit, posset etiam non fieri. Si autem præter fatum esse id quod potest fieri dicat quispiam, ei rursus eueniet ut id quod fieri non potest, posse fieri dicat. De quo enim qui non futurum esse prædicit, uera dicit, quomodo dici potest hoc fieri contingere? Clarum est enim quod etsi sua natura fieri posset aliter, quia tamen est prohibitum, uerum est, quod ab eo prædictum, id non esse futurum. Etenim si hoc est quod fieri potest, quod si fuerit esse positum, nihil quod nõ poßit fieri eueniet. Quicquid autem, cui, id quod opponitur, si prædicatur,

uerum eſt, poſitum fuerit fieri non poſſe, ut idem ſit ſimul, & non ſit, nihil eorum in quibus contradictionis in futurum altera pars determinatè uera eſt, eſt contingens. In omnibus autem dicunt, alteram contradictionis partem eſſe ueram. Dicunt. Nihil eſt ergo contingens: neque enim in ijs de quibus uerum eſt illud, Erit, eſt contingens, quia fieri non poteſt ut non fiant: neque in ijs erit, de quibus falſum eſt illud, non erit: quia fieri non poteſt, ut horum aliquid fiat. Si quis enim in quo eorum quæ dicuntur, falſum eſt non fieri, alterum eorum dicat eſſe contingens, uel fieri ſcilicet, uel non fieri, hoc ſequitur ut utrunq; dicat contingēs. Nam & quod contingit fieri uerum eſt, eo quod etiā contingat non fieri. Et quod non fieri cōtingit, tale eſt eo quòd cōtingat fieri. Sic aūt erit, ut in quo fieri cōtingat, in eo quoq; ſimiliter non fieri contingat. Et in quo non fieri fuerit contingens, in eo quoq; fieri contingens ſimiliter fuerit. Cùm idem autem ſimiliter contingat fieri & non fieri, quomodo non eſt in his abſurdum, unam quidem eius quæ prædicitur contradictionis partem determinatè ueram eſſe dicere, alteram autem falſam: cum id quod eſt propoſitum, ſimiliter utrūq; eſſe poſſit? eſt enim conſequens ijs, qui illa quæ fiūt, hoc modo fieri dicunt, ut & ſimiliter ueram affir-

affirmationem & negationem in ijs quæ fiunt,fieri dicant,uel utranq; ipsorum similiter falsam.

Cur auctio in forma tantum, & non in materia?

Si augetur subiectum ei quod augeri dicitur,patitur autem & materia,non forma solum:nõ enim utiq; tota mutatur: cur in forma,non etiam in materia est auctio? Non enim omnis materia quæ est in ijs quæ augentur,mutatur,sed aliqua ex ipsis manente, alia accedit.Neq; enim ab initio seruarêtur,si præexistentis materiæ forma maneret. Nõ enim materia in eo suum esse habet,quod tanta sit: sicut nec caro in eo quod tanta sit, ut caro sit, assequitur. Vel quod cũ duo sint in eo quod augetur,& id quod quale est, & id quod quantum:& hoc quidem est illud quod augetur,illud uero utraq; simul substantia:& quantum quidẽ sit ut materię subiectũ,forma uero eius quod est quale locũ,locũ habeat: id quod est quidem quantum,nõ manet idem:quale autem, quod est ut forma subiecti,manet. Quoniã ergo quod quale quidem est, quod & forma est,manet:quod autem quantum est,non manet: & quod idem non maneat,materiæ fluxus causa est:propterea in materia non augentur, quę augentur,sed in forma. Ea enim

est quæ manet eadem. Eius enim quod per se subsistit, itidem in eodem manens, fit auctio. Eius autem quod per se subsistit, utrunque simul, quod est id quod forma præditũ est, manet. Materia enim est id quod fluit. Nam & si in eo quod augetur, quædam materia suffert & sustinet, sed tamen de ea prædicari non potest, quod augeatur, prout ea semper est & ubique, etiam si sustinuerit, sed quod postea fluat & mutetur. Neque enim est in subiecto materiam aliquam accipere, quæ in subiecto eadẽ perpetuò manens numero, in quantitatẽ aliquam additionem habuerit. Quãcunque enim acceperis, ea fluit & mutatur, & nihil eius manet idem numero: forma autem manet eadẽ, donec res mutetur.

Quomodo, si aqua per frigiditatem magis est aqua quàm per humiditatem, eius quidem in calidum ex frigido mutatio ipsam non corrumpit, ex humido autem in solidum corrumpit.

VI

Si aqua magis est aqua, quatenus est frigida, quàm quatenus humida: ut ignis quidẽ quatenus est calidus, magis quàm eo quod sit siccus: aer autem magis per humiditatẽ, quàm per caliditatẽ: terra uerò eo quòd sit sicca, potius quàm quod frigida: quám nã ob causam in humiditate quidem immutata aqua,

aqua, non est amplius aqua, neq; enim glacies aqua est. in frigiditate autem aqua mutata, aqua manet: aqua enim aqua est, et si calida facta sit. Atqui nec ignis, quatenus est calidus, immutatus, est ignis amplius: nec aer, si in humiditate mutetur. Sed nec terra manet, quæ in siccitate mutatur. Et hoc quoq; in ipsa quæsiuerit quispiã, cur, si per frigiditatẽ ea ut aqua sit habet, quæ in frigiditate fit auctio & intẽtio eam corrũpit: siquidẽ propter exuperantẽ frigiditatẽ ea concrescit: cõcreta aũt nõ amplius actu aqua est. Neq; enim quæ in caliditate fit ignis intensio, ignẽ corrumpit: neq; quę in humiditate, aerem: nec quæ in siccitate, terrã. Nec omnino quæ in propria forma fit intensio, ullius alius corruptionis & exitij causa est. Nunquid, quoniam quæ ex frigido in calidũ fit aquę mutatio, aeris est genitrix? Nullũ enim aliud corpus potest ex aqua per solam ex frigido mutationem fieri. Nõ est autem aer solum calidus, sed etiam humidus: et magis quatenus humidus est, ut sit aer habet. Non est autem simile humidum, quod est in aere, & id quod est in aqua. Est enim aqua crassior, & ideo replere potest. Aeris autẽ humiditas est tenuis. Non solum autem aquæ ea, quæ fit in frigiditate, mutatione opus est, sed & ea quæ fit in humiditate: & maximè, quoniam talis est humiditas quæ aeri formã

 tribuit,

tribuit,in quem eſt,quę in frigiditate fit,aquę mutatio. Quæ autem in humiditate aquæ fit mutatio,ea fit à calido, &, quod in eo eſt,ſicco ipſam attenuāte, & eā quæ in ipſa eſt denſitatē & craſsitudinē mutāte: quæ mutatio tēpore indiget. Propterea donec quæ in aqua facta eſt,caliditas,humiditatē eouſq; mutauerit,ut aeris ſpecies fiat,adhuc aqua manet,nō talis quidē qualis eſt aqua pura,ſed ſubtilior. Aqua enim ipſa calefacta eſt ſubtilior quàm prius:& quæ rurſus refrixerūt, ſunt iis ſubtiliores,quæ nō à principio calefactæ ſunt.Aquę enim in aerem mutationis uia eſt caliditas:& aqua calefacta,& ea quæ prius erat, non eſt ſimilis. Quemadmodū autem caliditas humiditatem attenuat:ſic rurſus frigiditas condenſat & cogit. Et quia talis humidi coactio & concretio,à frigido in tempore talis fit: propterea nec refrigeratus aer, aqua protinus: ſed manet aer,donec fuerit ſubtile humidū. Quæ autē eſt in humiditate mutatio, cum nō reuera aquæ formam tribuat,ut frigiditas, aquam uidetur corrumpere:quòd non ſolum aquæ in terram eſt mutatio in humidi mutationem, ſed etiam in glaciem. Verumenimuero etiam hęc aqua quodammodo adhuc eſt. Cum aqua enim calida glacies proportionē & conuenientiam habet. Vtrunq; enim eſt aqua affecta. Et eſt in confinio illa quidem a-

quæ & aeris: hæc uerò aquæ & terræ. Est autē in alijs quoq; simplicibus corporibus, ea, quę fit in ea quæ sunt sibi proxima, mutatio, per alterutrius eorum quæ formam eis præbent, mutationem, tempore indigens. nō enim, ut uidetur, in alterutro eorū fit eis mutatio, sed in utroq;. Eo autem quòd in alterutro mutatio non in cōtrarium fiat, sed in eo ut eadem qualitas uel intendatur, uel remittatur, in ea quæ fit in contrarium eorum quæ sunt in ipso, mutatione solum mutari uidetur. Neq; enim protinus terra est aqua, si frigefiat. Oportet enim qualitate quadam præditam esse frigiditatem. Quare nec fumus, nec fuligo iam est terra. Sed nec si in humidum solum sit mutatus ignis, iam est aer. Nam & qualitate quadam prædita, caliditate opus est. Et ideo primum fit in confinio. Eadem est & in alijs ratio. Aquæ forma nō est simpliciter frigiditas, etiam si per hanc magis sit, sed frigiditas cum humiditate. Quandiu ergo seruari potest humiditas, & in ea est frigiditas, frigiditas aquæ forma est. frigidum autem, à quo humidum corrumpitur, aquę forma esse non potest. Est autem eiusmodi frigidum eius forma: cuius auctio aquam, hoc est humiditatem, non posset corrumpere.

Quomodo non contraria magnum & paruum, si in contraria quidem fit mutatio: quod autem augetur & minuitur, in ea mutatur.

VII

SI omnibus quæ mouentur, ex contrario in contrarium fit mutatio: quę autem augentur & minuuntur, mouentur: iis ex cõtrariis in contraria fuerit mutatio, fit autẽ iis mutatio in magnitudinem & paruitatẽ. Ei enim quod augetur, in magnitudinem fit auctio. ei uerò quod diminuitur, in paruitatem contractio. Contrarium ergo, magnum & paruum. Sed nõ uidetur, ut pluribus Aristoteles in Prædicamentis ostendit. Vel non simpliciter in magnitudinem et paruitatem fit iis mutatio, quę augentur & minuuntur: sed iis quidem, quæ secundum naturam augentur (ea autem sunt, quæ nutritiuæ animæ communicationem & participationem habent) ad perfectionem, & perfectam magnitudinẽ fit auctio. Quæ autem minuuntur, à perfectione recedunt, & ad imperfectum contrahuntur. In perfectam ergo magnitudinem & imperfectam, fit eis mutatio. Hæc autem sunt cõtraria, etiamsi magnum paruo non esse simpliciter cõtrarium dixerit. Et præterea motum in contraria, mutationem dicit, contraria communius accipiens. Contraria enim solet appella-

pellare & priuationē & habitum, & quę sunt ad aliquid opposita. Exuperationem itaq; & defectum in moralibus contraria dicit, quæ, quatenus sunt ad aliquid, sunt inter se inuicē opposita. Magnum ergo & paruum cum sint ad aliquid, cōtraria dici possunt, nō quæ sunt propriè contraria, sed ut quę sunt ad aliquid. Vel ne fit quidem motus, ut ipse sentit, in eo quod est ad aliquid. Neque enim fit alicuius dextrum quidpiam, si ipsum motum fuerit. Vt autē calidum quid fiat, uel fit supernè, fieri non potest, nisi ipsum motum sit. Vel etiam si nō idem dexter factus per mutationē, quæ fit in habitudine, talis factus est: propterea enim non est in eo quod est ad aliquid motus, quòd non fit per eandem habitudinem mutatio motus, quæ fit ei quod mutatur per habitudinem. Non enim sicut per locum mutatio, eius quod hoc modo mutatur, fit per qualitatem: similiter & quæ per qualitatē & quæ per quātitatem: sic etiam quæ fit per id quod est ad aliquid, & per habitudinē mutatio, fit motis ijs quę mutant habitudinem, prout est habitudo. etenim in ijs non motis, habitudo mutatur: non quoniam non sic per habitudinem fit mutatio: propterea fieri potest ut sit mutatio habitudinis sine motu. Dexter enim alterius esse non possit, nisi fuerit per locum amborum motus, uel alterutrius. Alterius au

tem duplum alterum non fuerit, nisi per quãtitatem motus fuerit. Quare etsi non est motus in eo quod est ad aliquid: tamen per motum quendã est ea quæ in diuersas fit habitudines mutatio: quare hac ratione nihil prohibuerit, eam etiam quę in magnũ & paruũ fit, mutationem, quæ per mutuam inter se habitudinẽ sunt opposita, per motũ fieri: hoc etiã concesso, quòd ea etiã quæ sunt ut ad aliquid opposita, contraria dicantur & sint, & quæ in hæc fiant mutationes sint cõtraria. Vel nõ dicuntur ab ipso ea quæ sunt ad aliquid contraria. Neq; enim exuperatio & defectio, contraria ab Aristotele dicũtur, quatenus sunt ad aliquid: ut ex hoc manifestũ, quòd ad ea se inuicẽ relata dicũtur. Exuperatio enim defectus est exuperatio. Et defectus, exuperatiõis, excessusq; est defectus. Cõtraria autẽ non sunt per eã habitudinẽ: sed quatenus illud quidẽ cõmoderato plus est: quod enim magis est, tale est. Hoc uerò cõmoderato minus. Est enim eiusmodi quod deficit. Non enim quæ quomodocũq; exuperãt & deficiũt, cõtraria dicit: sed quæ ad cõmoderatum sic habẽt. Qua quidẽ ratione, eam quæ est ad aliquid habitudinem, neutrũ ipsorũ amplius seruat. Iam uerò & albũ quoq; & nigrũ, quatenus inter se quidem cõtraria dicũtur, ad aliquid sunt, & non contraria. Quatenus aũt album quidem talis

color

color,nigrum uerò tale,cōtraria,sed nō ad aliquid. Cōtraria enim,quatenus quidem declarant naturas quasdā,quæ plurimū à se inuicē differunt,non ad aliquid. Quatenus autē sic nominātur,sunt ad aliquid.

Ad hoc quod non sit forma in materia, ut in subiecto. VIII

AD hoc quod nō est forma in materia, tanquā in subiecto,nec anima in corpore,erat id quod dicebatur,quòd ut actu sit materia,forma causa est. Neq; enim fieri potest ut ipsa in rerum sit substantia,sine forma. Quod aūt est in subiecto, est in aliquo quod actu est:quod esse potest etiam sine eo, quod inest ipsi subiecto. Aduersus quod obijciebatur,quod etiā corpora ad hoc ut subsistāt, ab accidentibus adiuuētur: siquidem omne corpus esse necesse est,cū aliqua figura & colore. Hæc autem in subiecto esse corpore,in cōfesso est. Non sufficit ergo ad hoc quòd non sit in subiecto, quòd ipsi subiecto cōferat ut subsistat. Verùm si quid quidem alicui simpliciter confert ut subsistat, nihil uetat quominus ipsum sit in subiecto. Vt in corpore & qualitate ostensum est:sine qua fieri non potest,ut ullum corpus subsistat. Si autem sit aliquid quod ut pars ei cōfert, in quo hoc est:fieri nō potest, ut hoc sit in subiecto, cuius est pars.

forma

forma autem ei in quo est ut pars conferre ui detur. Huius autem quæstionis, utrum scilicet, ut in subiecto aliquo est, quod proponitur, inuestigatio ita facienda est, ut rem accipiamus, in qua quidem est id de quo quæstio proponitur. Quæritur autem, quomodo est in ipso. Qui enim ostendit album esse in corpore, tanquã in subiecto, aliquo accepto cor pore, in quo est album, si ostendat id esse in corpore, non ut partem, nec ut quod possit seorsum ab illo esse, simul etiam ostenderit id esse in ipso subiecto. Ita etiam oportet eũ qui quærit, utrum forma sit in subiecto, an non, eiusmodi quidpiam accipere debere, in quo iam forma quidem est. Quæritur autem quo modo? In materia ergo, si per se capiatur, nõdum est forma. Quare nec quæsiuerit, quomodo in ipsa est id quod in ipsa ab initio nõ est. Quoniam autem in cõposita ex utraque simul substantia, eiusmodi forma est, oportet quopiam eiusmodi assumpto, in ipso inquirere. Atqui, si quæ utrumque habeat, substantiam acceperimus, forma, quæ in ipsa est, utriusque simul ueluti pars est. Anima enim in instrumẽtario corpore, in quo est, tanquam pars est. Si autem tanquam pars non fuerit, ut quæ est in subiecto in quo est: sic nec anima amplius for ma esse poterit. An dicet quispiam albũ quoque, albi corporis, in quo est, esse partem: esse

autem

autem in subiecto corpore, cui cõfert ad hoc ut subsistat? Quare & formam ex utroq; compositæ substantiæ partem fore: in materia autem quæ ei ad hoc ut subsistat confert, esse in subiecto. Nunquid ergo dicere oportet, id in quo quæritur, si est aliquid ut in subiecto, esse omnino hoc quidpiã & quod actu sit? Neque enim in eo quod non est, fieri posse ut sit aliquid in subiecto. Eorum autem quæ ei cõferunt ad hoc ut subsistat, & actu sit, quod in ipso sint: quæcunq; quidem in ipso ad hoc ut subsistant, solum conferunt, non autẽ ad hoc etiam ut sint hoc quidpiam, illa esse in subiecto. Per aliquid enim quod propriam seruat naturam, ea autem mutare potest, sunt in subiecto. Quæcunq; autem non solum ad hoc ut subsistant, sed multo prius ad hoc ut sint hoc quidpiam, alicui conferunt, in quibus si mutatum sit, fieri non potest ut sit id quod erat: ea utiq; non esse in ipso tãquam in subiecto. Quomodo enim fuerit hoc in subiecto, homine, cuius absentia hominẽ perimit ac corrumpit? Quare grammatica quidem in subiecto est homine, qui eam habet: licet ei conferat ad hoc ut sit grãmaticus. Neq; enim quanuis non adsit grãmatica, etiam homo esse desinit. Anima autem non est utiq; in ipso subiecto: quoniam ad hoc ut homo sit conferat, sed non ad hoc ut sit qualitate uel quantitate
præ-

præditũ,uel alicubi ſit,uel quid eiuſmodi. Talis enim eſt forma naturalis: ſiquidẽ unicuiq; per formam adeſt id eſſe quod eſt. In eo ergo quod ex utroq; conſtat, & eſt hoc quidpiam, idcirco forma non eſt in ſubiecto: ut quæ ut pars unicuiuſq; ſubſtãtiæ in ipſis ſit,non autẽ in materia ſolum: quod nec ipſa ab initio ſic eſſet ſubiectum, ut hoc quidpiã, utpote quæ nec in ſe formã ullo modo haberet. In ijs autem quæ ſic ſunt, eſt id quod eſt in ſubiecto: quidpiam enim eſſe oportet, & hoc quidpiã, in quo eſt id quod eſt in ſubiecto. Tale eſt enim quod partes habet. Præterea ſi ſubiectũ quidem ab eo quod eſt in ipſo ſubiecto differt: quòd ſubiectum quidẽ poſsit eſſe etiam ſine ijs quę in ipſo ſunt ſubiecto. Nam & ſi fieri non poſsit ut ſit cera ſine figura: ſed ut ſine hac quidem certè, quam nunc habet, figura ſit,bene fieri poteſt. Quod autem eſt in ſubiecto, ſi ſubiectum ſeparatum fuerit, fieri non poteſt ut ipſum ſit. Materia autẽ & forma fieri non poteſt,ut à ſe inuicem ſeiuncta ſint, quòd ea ad ſeinuicem dicantur. Quæ autem ad ſe inuicem dicuntur,ſimul ſunt natura: ſiquidem ea ſunt ad aliquid, quibus idem eſſe eſt,quod ſcilicet ad aliquid quodãmodò habeant: nec ſic forma fuerit in ſubiecto, materia, quæ poteſt & de materia dici: quod ſine forma quidem eſſe non poteſt, ſicut nec cera

ſine

sine figura. Sine hac autem forma fieri potest ut sit, ut cera sine hac figura. Vel si anima non in aliquo alio esse potest corpore, uel fieri, quam in instrumentario: eius autem non est pars: nõ fuerit in subiecto. figurarum autem unaquęque non in definito sit corpore. Præterea homo est quidem & cum anima: est & cum colore, & figura: sed non similiter. Sed cum anima quidẽ ut parte, & maxime ad hoc ut sit homo, conferente. In quo enim talis fuerit anima, hoc est homo. Non itidem autẽ & color & figura in homine. Non enim quicquid habet talem figuram, uel colorẽ, homo est. Quare hæc quidem sunt in ipso subiecto, non ita autem & anima. Eadem autem ratio est & in alijs naturalibus formis.

Quomodo non bonæ habitudini morbus magis opponitur, quàm mala habitudo. IX

QVæsitũ est, quomodo nõ bonæ habitudini, quę est intẽsa sanitas, morbus magis opponitur, quàm mala habitudo: siquidẽ cõtraria plurimũ à se inuicẽ distãt in eodẽ genere. Si enim mala habitudo sit in eo ꝙ est sanũ, fuerit etiã quędã remissa sanitas. Sic aũt erit intẽsę sanitati remissa sanitas cõtraria. Absurdũ aũt, sanitati quidẽ dicere morbũ esse cõtrariũ: & nõ itidẽ, intẽsę sanitati morbũ, uel eã quæ est in morbo intẽsionẽ. Ea est enim quæ pluri-

plurimum ab ipsa distat. Nunquid si in eodē quidem uersaretur sanitas et bona habitudo, præterea autem morbus & mala habitudo: uerum & rectum esset quod dicitur, quia in eodem uersentur, & sint contraria oportet. Si autem in alio quidem uersatur sanitas, in alio uerò bona habitudo: & in quo quidem sanitas, in eodem & morbus: in quo autem mala habitudo, in eo etiam bona habitudo: nec bona habitudo sanitas fuerit intensa, nec ei contrarium morbus fuerit, cum nec ab initio in eisdem uersetur. Versatur enim sanitas quidem & morbus in primis corporum facultatibus, ex quibus cōstituta sunt animalia, quæ sunt elementa: quorum facultas, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. In harum enim facultatum ad se inuicem commoderatione, sanitas. In harum autem ipsarum non congrua commoderatione, morbus. Bona autē & mala habitudo in eisdē uersantur, in quibus uires & imbecillitas. Est enim bona habitudo uiribus persimilis, mala autem habitudo imbecillitati. Qui enim studio & diligentia affectus est, ut plus habeat uirium, quàm quæ sunt in simplici sanitate, bona habitudine prę ditus appellatur. Et qui est imbecillior, quàm pro eorum qui sunt simpliciter sani, uiribus, eodem modo mala habitudine prędítus. Atqui uires & imbecillitas in similariū, quę sunt

in animalibus,partium commoderatione,& non congrua cõmoderatione,ut sint habent. Quare & bona habitudo & mala in his fuerit, & fuerit ut imbecillitas uiribus, ita mala habitudo bonæ habitudini cõtrarium. Quare si in quibus uersatur sanitas,in ijsdem uersaretur & bona habitudo,rationi esset cõsentaneum,dicere bonam habitudinẽ intensam sanitatem. Quia autem non in ijsdem uersantur,nõ sic rectè dicetur: nisi quoniam ad hoc ut sit bona habitudo,præexistit & subiecti instar substrata est prius sanitas, facta ei qui sanus est accessione aliqua:sed non in sanitate, nec in ea,quæ in ipsa est,commoderatione.

Quomodo,si quatuor sunt causæ, non erit in diuinis etiam corporibus subiectum, materia. X

SI naturalium principium & elementa eã sunt, de quibus in Naturali auscultatiõe dixit Aristoteles:ea autẽ sunt, materia & forma,& causa effectrix,& id cuius gratia:quod circulari motu fertur corpus,uel non erit corpus naturale, uel erit materia, & subiectũ in ipso:uel non omnium naturalium principia dici poterunt. Quod est enim illi subiectum? Atqui & illud quoq; est corpus naturale. Omne enim corpus uel est naturale, uel mathematicum. Non est autem illud mathematicũ,

Quicquid enim est in motu, qui ex seipso est, id est corpus naturale. In motu autem illud est, siquidem & est mobile, & in se causam habet motus. Nunquid natura in ijs est principium & motus & status, in quibus primò est, & non per accidens? non habet autem illud status principium in seipso: nec naturã ergo habere potest. Si autem naturam nõ habeat: nec corpus naturale fuerit. Sed si non naturale, quale ergo? Non est enim mathematicum: quoniam est animatũ. Omne autem corpus animatum, naturale. Cum autem non sit corpus naturale, nõ habet subiectum materiam: siquidem materia est, quod potest alternis cõtraria suscipere. An, siquidem materiam dixerit, solum ultimum subiectũ, quod potest alternis contrarium suscipere: non fuerit in materia comprehensum id quod est quinto corpori subiectum. Si autem sic definit materiã, ut sit ultimũ subiectum, per seipsum informe & incompositum: fuerit etiam in ea quę sic dicitur materia comprehẽsum id, quod in diuino est corpore, subiectum. Hæc est enim communior definitio eius, quod est per subiectũ, principij, & quæ in se utraq; subiecta comprehendit. non si aliæ autem sunt inter se inuicẽ materiæ, & quæ in diuino corpore subiecta est, & quæ in ijs quæ sunt in generatione & corruptione, iam & compositæ. Si enim esset

ipsis

ipsis aliquod unũ subiectũ, eis opus esset differentijs, per quas formis præditæ, cùm idem subiectum habeant, à se inuicem differunt. Si autẽ sunt aliæ omnino, non necesse est, ut per aliquas differentias, quæ eis formam seu speciem attribuant, à se inuicem differant. Non enim forma et materia, quia sunt à se inuicem alia, propterea & composita.

Quomodo dictum in libro primo de Anima, Animal enim quod est uniuersale, uel nihil est, uel est posterius.

XI

QVærebatur quomodo dictũ est ab Aristotele in libro primo De anima, Animal enim quod est uniuersale, uel nihil est, uel est posterius. Quòd itaq; exemplo animali uti potest eorum quę in anima, & eorũ quę sic uniuersalia dicuntur, quod primũ habeat & secũdũ, qui uolet quomodo hoc se habeat ostendere, ostẽsum est à me in eo, quẽ in eum librum scripsi, commentario. Quod dictũ est autem, & in animali, in iis quæ sunt propriè, generibus conuenire ostendi potest. Quoniã enim genera sunt uniuersalia: quæ sunt autẽ uniuersalia, sunt aliquorum quæ sunt, uniuersalia. Nihil enim est, quod cum sit uniuersale & genus, synonymè quoque prædicetur. Sed oportet rem esse aliquam, cui

illud uniuersale acciderit. Vniuersale autem non res aliqua propriè, sed aliquid quod alij accidit. Quemadmodum animal est res aliqua, quæ & naturam aliquam declarat. Significat enim, substantiam animatam sentiētem: quod quo ad suam quidem substantiam non est uniuersale. Nihilominus enim erit, & si unum numero animal positum fuerit. Ei autē, cum tale sit, adest, ut sit in pluribus à se inuicē specie differentibus. Hoc ergo ipsi accidit. Quod enim non est in alicuius substantia, id ei accidit. Quoniam ergo genus est eiusmodi, non res aliqua, sed quod alicui rei accidit, dixit ipsum Aristoteles uel nihil esse, quoniā non est propriè. Quod enim ut genus est animal uolens declarare, animali adiecit, quod est uniuersale: dicens, Animal enim quod est uniuersale. Hoc ergo, quod est ut genus, animal, uel nihil est: quia nō propriam aliquam naturam significat, sed est ueluti euentus quidam, qui alicui rei fit. Vel si quis id quod sic est, reuera esse dixerit, erit posterius illo cui inest. Oportet enim rem esse priorem eo quod ei accidit. Quod autem est re posterius, apertum. Quamuis enim sit animal, non necesse est, quod ut genus animal est esse. Potest enim poni unum quoq; esse animal. Nam uel non in substantia eius fuerit, quod est uniuersale: uel, quod ut genus est animal, necesse est
&

& animal esse. Et sublata quidem substantia animata sentiente, nec ut genus, animal fuerit. Neq; enim fieri potest, ut quod non est, sit in pluribus. Sed si sublatum quidem fuerit, quod ut genus est animal: nõ necesse est substantiam quoq; animatam sentiẽtem esse sub latam: fuerit enim, ut dixi, uel in uno. Et propterea dictum est illud, uel nihil est, uel est posterius. Cùm sit autẽ posterius re cui accidit, rursus est primum uniuscuiusq; eorum quæ sunt sub ipso. Quare genus quidem esse, est in eo quod est de multis & differentibus prædicari. Particulare autẽ, seu singulare esse, est cũ multis esse sub uno genere uel specie. Itaque sublato quidem uno eorum, quæ sunt sub cõmuni, non perimitur commune, eo quòd est in pluribus. Si autem commune sublatũ fuerit, nec eorum quæ sunt sub communi quicquam fuerit, quorũ esse in hoc cõsistit, quòd illud in se habeant.

Idem aliter diligentius ordinatum.

Quæsitum est, quomodo in primo de anima ab Aristotele dictum est: Animal enim « quod est uniuersale, uel nihil est, uel est poste « rius. Quod itaq; exemplo quidem animali u- « ti potest, quod est in anima, & in iis quæ sic di « cuntur uniuersaliter, ut primum habeat & se « cundum, is qui uelit quomodo hoc habeat, «

 osten-

„ ostendere,in eo,quem in eum librum scripsi,
„ commentario,à me dictum est. Cum enim di
„ xisset,cauendum esse,ne non consideratũ re-
„ linquatur,utrum specie tãtum à se inuicẽ dif-
„ ferunt animæ,an etiã genere. Si hoc enim de-
„ finitum fuerit,nos non latebit,utrum una ali
„ qua ratio animæ cõmunis & generalis. Si au
„ tem unius generis fuerint, uniuscuiusq; gene
„ ris animæ propria fuerit. Commune enim a-
„ nimæ solum nomen est, non itidẽ aũt & res.
Ostendens autẽ quomodo uniuscuiusq; pro pria,exemplis usus est,qui sunt sub eodem ge nere. Quod etiam apertius facit quod diceba tur. Si enim sint hæc,inquit,non unius generis, equus, & canis, & homo, & Deus, ut genus ipsorum sit animal,propria uniuscuiusq; ipsorum erit ratio. Animal autem quod de ip sis cõmuniter prædicatur,uel nihil est, & nullam propriam significat naturã,sed erit æqui uocum:uel etiamsi significat,erit: ut uidetur habere in iis quæ multis modis dicuntur, in quibus est & id quod est prius,& id quod po sterius. Quod enim communiter in iis quę sic habẽt,prędicatur,significat quidem naturam quãdã,sed nõ quæ in omnib. similiter habet, de quib. prędicatur. Quamobrẽ hoc est poste rius iis quæ sunt sub ipso. Quod enim de aliquib. ut genus prædicatur, perẽptũ simul pe rimit omnia,quæ sunt sub ipso. Quorũ nullo per-

perempto, ipsum simul perimitur. Quare natura primũ est. In ijs autẽ in quib. est prius & posterius, si tollatur id ꝙ primò habet, etiã id quod ab ipso significatur, unà tollitur. Itaqꝫ nõ amplius primũ, sed posterius efficitur. Tale aũt quid ostẽdet quoqꝫ esse animã. Et ideò iure de ipso inquisitio præponitur. Quia aũt in animali hæc dixerat, & ea quorũ meminerat, erant sub animali, adducit illud, similiter aũt & si quid aliud cõmune prędicetur, ostendẽs quòd quicquid sic cõmuniter de aliquib. prędicatur, ut nõ eorũ sit genus, uel nihil erit, uel posterius, ut prędictũ est. In illis ergo hoc dictũ est. Quod dictũ est aũt, & in animali & in ijs quę sunt propriè generib. cõuenire ostẽdi potest. Quoniã enim genera sunt uniuersalia: quod aũt est uniuersale, aliquorũ uniuersale est: nihil enim ꝙ aliquid est, & uniuersale erit & genus, uniuocè prędicatur, genus quidẽ existẽs, sed nõ eo modo. Subiectũ quidem cui uniuersale accidit, res quędã est. Vniuersale aũt ꝙ illi accidit, nõ res aliqua per se est, sed est illud per accidẽs. Quẽadmodũ animal est res aliqua, & quę naturã aliquã declarat. Significat enim substãtiã animatã sentientẽ: ꝙ ex sua quidẽ natura nõ est uniuersale. Nihilo enim secius erit, etsi unũ animal numero positũ fuerit. Euenit aũt ei dũ est eiusmodi, ut sit in pluribus, & à se inuicẽ specie differẽtibus.

Hoc ergo ipsi accidit. Quod enim, cum in alicuius substantia non sit, ipsi inest, est accidēs. Quoniam ergo genus eiusmodi non est res, sed quod alicui rei accidit, dixit ipsum Aristoteles uel nihil esse, quoniam non est propriè. Quod enim ut genus est animal, uolens significare adiecit animali illud Vniuersale, dicēs: Animal enim, quod est uniuersale. Hoc ergo quod est ut genus animal, uel nihil est si non habet naturam aliquam propriam, sed est euentus qui existit in re aliqua: uel si quis id quod sic est, esse dixerit, erit eo posterius cui inest. Oportet enim rem esse priorē accidente, quod ei inest: illud autem re posterius. Licet enim sit animal, non necessariò tamen est ut genus, animal. Potest enim per positionē animal in uno esse: quoniam nō est in ipsius substantia uniuersale. Si autem fuerit, etiam quod est ut genus animal, necesse est esse quoque animal. Et sublata quidem substantia animata sentiente, nec quod est ut genus quidem, animal fuerit. nec enim fieri potest, ut quod non est, sit in pluribus. Sed si sublatum quidem fuerit, quod est, ut genus, animal: nō necesse est & substantiam animatam sentientem esse peremptam. fuerit enim, ut dixi, uel in uno. Et propter hæc dictū est illud, Vel nihil est, uel est posterius. Cùm sit autem posterius ea re cui accidit, rursus ipsum primū uni-

uſcuiuſq; ſingularium, & eorũ quæ ſunt ſub ipſo, efficitur. Nam genus quidem eſſe in eo conſiſtit, quod de multis & differentibus prædicetur. Singulare autem eſſe, eſt cum multis eſſe, ſub uno genere uel ſpecie. Quare ſi perimatur quidem unum eorum quę ſunt ſub cõmuni, non perimitur commune. Si commune autem ſublatum fuerit, nihil eorum quæ ſunt ſub communi fuerit: quorum eſſe in hoc eſt, quod illud in ſe habeant.

Quomodo fieri poteſt, ut idem ſimul & uoluptate & moleſtia afficiatur, ſi hæc ſunt contraria. XII

SI fieri non poteſt, ut in eodem ſimul ſint contraria: quomodo fieri poteſt, ut idẽ ſimul & uoluptate & moleſtia afficiatur? quod ĳs uſu uenit, qui & ſitiunt, & bibũt: & ĳs, qui eſuriunt & comedunt, & ĳs qui ſcabie laborant, & fricantur. Vel enim uoluptas non eſt contrarium moleſtiæ & ægritudini: uel non eſt uerum, fieri non poſſe, ut in eodem ſint ſimul cõtraria. Neq; fieri non poſſe, ut eidẽ cõtraria ſimul inſint, eſt abſolutè uerum, ſed pariter & eodem modo. Neq; uoluptas eſt abſolutè moleſtiæ contrarium. Non enim uoluptati, quæ ex ſpectaculis capitur, contraria eſt moleſtia quæ ex ſiti ſentitur: ſed quę eſt ex eodem uoluptas, ei quæ eſt ex eodem moleſtiæ

obiectio

Solutio

contraria: quæ fieri nõ poteſt, ut eidem ſimul inſint. Neq; enim fieri poteſt ut et uoluptas et moleſtia capiatur, in ſpectando dimetientem lateri incommẽſurabilem, per idem. Neq; fieri poteſt ut qui eſurit, in eo quod eſurit, ſimul & uoluptate & moleſtia afficiatur. Vt is autem qui eo quod eſuriat, moleſtia afficitur, ſimul etiam in comedendo uoluptatẽ capiat, facilè fieri poteſt. Non enim eidem uoluptati eſt talis moleſtia cõtraria. Moleſtia enim eſt, propter defectũ. Voluptas autẽ, ob defectui exhibitum remedium. Et ideo, quamdiu quidem remedio indiget: dum remedium adhibetur, uoluptate afficitur. Simul autem ac, ut adhibeatur remedium, opus habet, moleſtia afficitur. Quod autem non ex eodem moleſtia & uoluptas, ex hoc clarum eſt, quod qui eſuriunt quidem, & non aluntur, moleſtia afficiuntur: & quod qui nutriuntur, moleſtiã minuant. Sic & quod defectus quidem ſit ſolius moleſtiæ cauſa, repleri autem, ſolius uoluptatis. Et qui ſcabie laborant, & fricant, nõ eo quod pruriunt, moleſtia afficiuntur: ſed quod ut fricentur, adhuc opus habeant. ſic & qui nutriuntur, eo quod egeant, moleſtia afficiuntur, non eo quod nutriantur.

Quod non similiter ab alijs sectis, & ab Epicureis introducuntur colores, ut dicebat Censorinus Academicus. XIII.

QVod nõ similiter ab Epicuro introducũtur colores, ut dicebat quidam qui eius opinionem tuebatur, et ab aliarum secta rum sentẽtia. Is enim in atomis, seu insectilibus elementis, quę rerum omnium principia ponit, nullum eorum esse dicit. Qui quatuor aũt esse elemẽta statuũt, & ex eorum sentẽtia sunt, & hi in elemẽtis. Quare ut ij quidem uolunt, ex præexistentibus coloribus fiunt quidam colores. Ei autem, cuius sententia non sunt hi in elementis, ex præexistentibus non est ipsorũ generatio. Quomodo ergo si quis insectilia corpora, rerũ esse principia ponat, quæ non solum figuram & magnitudinem, & resistentiã habeant, sed etiam colorem, nõ similiter eius sententia fuerit colorũ generatio: nempe ex præexistẽte colore, & qui est in elementis, & illius qui hæc insectilia elemẽta colorem nõ habere arbitratur: sic nec si quis non insectilia, sed quatuor dicat elementa, & quod in ijs sunt cum alijs etiam colores, is similiter ac Epicurus, colorum naturam intro duxerit. Sicut enim quæ fiunt ex elementis duritiem & obsistentiam nõ haberent, si nulla esset in elementis omnino durities: sic nec

colo-

colorem ex his quæ fiunt quidquam haberet, si nullus esset elemẽtis color. Quærere autem, undénam in elemẽtis, & igne, & aliįs colores: perinde est ac si quis quærat, undénam in insectilibus figuræ. Quod hæ autem à nõnullis quidem dicãtur esse generationi & corruptioni obnoxiæ, non esse autem generabilia insectilia, ab ijs quę sunt in illis elementis: colori quidem ex eo nihil amplius accesserit. Nam qui hæc elemẽta esse generationi & corruptioni obnoxia sentiunt, ij id quod est numero generabile & corruptile, hęc habere opinãtur: specie autem nec corrumpi possunt, nec generari. In se inuicem enim mutãtur, & ex se inuicem generãtur. Quare & in eorum generatione ex præexistẽtibus est generatio. Quemadmodum autem aliorum, sic etiam colorum.

Quòd ex sententia eorum qui id solum quod honestum est, bonum dicunt, Dij nullum hominibus bonum præbent. XIIII

SI Dij hominum curam gerunt, bonũ aliquod eis præbent. Quicquid enim alicuius curam gerit, ei, cuius curam gerit, aliquid boni comparat. Sicut etiam, quod nõ aliquid boni alicui comparat, id nec ullam ipsius curã gerit. Sed ex eorũ sententia, quibus solum quod honestum est, bonum est, Dij nullũ ho-

minibus bonum parant, ut ostendam. Quòd honestum est, in nostra est potestate. Quod in nostra est potestate, hoc per nos ipsos acquirimus. Quod per nos ipsos acquirimus, hoc à nullo alio procedit. Quod itaq; honestum est, à nullo alio ad nos procedit. Si autẽ à nullo, nec à Dijs. Atqui idem & bonũ, & honestum. Ergo ex eorum sententia quibus solum bonum honestum est, nullum bonum à Dijs, hominibus procedit.

Quòd si eadem est materia in diuinis, erunt & ipsa corruptilia. XV

Materia uel est eadem & in diuinis, & in ijs quæ sunt in generatione uel corruptione: uel alia. Sed si eadem quidem est, erunt & ipsa corruptilia: siquidem quibus id quod est potentia, subiectum est, ea corruptilia: ut ab Aristotele ostensum est, cùm in alijs, tum in primo De cœlo. Si autem est alia, clarum est quod materia, quæ ijs quæ sunt in generatione & corruptione, substrata & subiecta est, ab ea differet quę diuinis subiecta est. Si autem ita est, habebit aliquam à seipsa differentiam. Sic autem neque qualitatis expers utiq; fuerit, nec simplex: neq; quidquã quod ab aliquo aliqua differentia differt. siquidem propriè est differentia, per quã genus in suas proprias species diuiditur. Quod itaq; nõ est,

ab

ab eo quidē quod eſt, differt quidem, ſed non eo quòd differentiā habeat. Sed non quia ab aliquo differt, iam & compoſitum propterea efficitur. Sed nec ea quæ ſunt, quoniam prędicamentis differunt, iam etiam à ſe inuicē differentijs differēt: quoniam nec ſub uno ſunt genere decem genera. Oſtenſum eſt autem, quod ens, ſeu id quod eſt, non genus, cum utiq; multa ſint, eo quòd aliquid non habeat, differt ab ijs quę ipſa habent: quemadmodū, uerbi gratia, quod non habeat pilos, uel manus, uel quid tale. Nō habere autem aliquid, & priuatum eſſe, non qualitas. Præterea autē non omnis differentia qualitas. Si enim differentia eſt, per quam, quæ ſunt eiuſdem generis, à ſe inuicem diſtinguuntur: ſiquidem eſt uniuſcuiuſq; ſpeciei differentia: differētia eſt, quatenus id ipſi eſt, cuius eſt ipſa ſignificatrix. Atqui, omniū quæ natura cōſtituta ſunt, quibus non materia eſt ſolum ſubſtantia, ſed & forma, in ijs differentia alicuius ſubſtantiæ fuerit declaratrix, ſed nō qualitatis. & per huiuſmodi differentias, ſubſtantia à ſe inuicem, ſed non qualitate differūt. Quare cùm & ſubſtantiæ materia ſit in ſubſtantia, qui eam contrariorum ſuſceptricem eſſe dicit, in hoc hanc materiam ab illa, non qualitate differre dixerit. Quia enim qui materiam eſſe contrariorum ſuſceptricem ſtatuunt, qualitatis eam eſ-
ſe

se expertem dicunt: clarum est, quod nō qualitatem ipsius esse dicunt, quod sit contrariorum susceptrix. Si autem hoc non esse materiæ qualitatem dicūt: nec ij qui dicunt, quod eo quod hoc habeat materia, quæ ijs quæ sunt in generatione substrata est, ideo ab eo quod diuinis subiectum & substratum est, differat, per qualitatem ipsam differre dicunt. Si enim quod est contrariorum suscipiens, qualitatem non habet, quatenus est tale: nec quia differt, quæ hoc habet, ab ea quæ non habet, erit in qualitate: sed quia in propria natura ipsum seruare necesse est, siue ab aliquo differat, siue non.

Expositio eius, quod in primo De naturali auscultatione Aristotelis dictum est, quod contraria quodammodo principia faciunt omnes.

XVI

QVōd itaq; contraria omnes quodāmodo faciunt, clarum est: idq; rationi consentaneum: oportet enim principia neque ex se inuicem esse, neque ex alijs: & ex ijs omnia. contrarijs autem primis ea adesse, propter hoc quidem quod prima sunt, non ex alijs: & propter hoc quod sunt contraria, non ex se inuicem, dubitatum est quid'nam sit quod

per

per hoc dicitur: & cur non ex se inuicem contraria, uel cur non ex alijs priora. Nã & quod ex se inuicem contraria fiant, ipse parum progressus dicit. Cùm enim quædam demõstrasset, subiunxit: Si hoc itaq; uerum est, quicquid fit, fiet: & quicquid corrumpitur, corrumpetur, uel ex contrarijs in contraria, & ea quę inter ipsa intercedunt. Quæ autem intercedũt, ex cõtrarijs sunt: ut colores ex albo & nigro, Quare quæcunq; natura fiunt, uel contraria, uel ex contrarijs sunt. Et quod dicit prima cõtraria nõ ex alijs fieri, dubitauerit quispiam, quomodo dicitur. Quatenus enim prima subiecta sunt contraria, non ex aliquibus cõtrarijs præexistentibus fient. Neq; enim alioqui amplius prima essent. Quomodo autem si hoc non fiat, æterna erunt prima principia? Vel enim oportebit ipsa in se inuicem mutari, ut ex his aliquid fiat: sic autem nõ amplius seruabuntur, nec, si manserint, erunt incorruptilia, nec eiusmodi ut in seinuicẽ mutari non possint. Vel si eadem maneant, non per mutationem nec alterationem fient quæ fiunt: sed compositione & concretione, & discretione seu disgregatione primorum ad se inuicem, & quodam situ & ordine. Id autem ei non sic habere uidetur. Nunquid ex se quidem inuicem dicit non fieri contraria, quod non sic ex se inuicem fieri posint, ut maneant & sustineant.

neant. Neq; manet alterum contrarium, & su stinet. Videtur autem quicquid fit ex aliquo, tanquam ex eodem manente & sustinẽte fie-ri: ut procedens ipse ostendit, & definit. Si au tem sic quidem ex se inuicem non fiant: sed per eam, quæ est subiecti uicissim in utrunq; ipsorum mutationem, fit mutatio: nihil pro-hibebit, & prima contraria in se inuicem mu tata, hoc modo generationis caussas fieri ijs quæ sunt posteriora. Sed si sic mutantur, quo modo causæ permanere possunt: uel in quo different ab ijs quæ non sunt prima contra-ria? Eorum enim in se inuicem mutatio hoc modo fit. An different quidem prima contra ria à non primis: primò quidem, quod ex il-lis omnia quæ fiunt, fiant. Ex forma enim ali qua & priuatione quadam alternis in mate-ria factis, omnium generationes fiunt, & cor ruptiones. Non ita autem ex albo, & nigro, uel dulci, & amaro: uel aliquibus his simili-bus cõtrarijs. Præterea ipsa quidem quæ sunt posterius contraria, etiamsi in se uicissim mu tẽtur, quod fiant alternis in materia, quod ha bent etiam prima contraria: sed & generatio est ipsis ex illis ab initio, nempe per qualitate quadam prẹditum habitum & priuationem. Et succorum & colorum generatio, cum his contrarijs habet proportionem & cõuenien tiam. Ex nullo autem mutato prima contra- So . ũtio

ria fiunt: & ideo æterna sunt, quod nihil ante ipsa, mente concipi primum possit, ex quibus eorum fuerit generatio. Ostendi autem potest, etiam esse æterna. Non enim, si, quæ sunt in singulis, formæ & priuationes ostendũtur alterius in se inuicem mutari, propterea non æternę: sed si semper cernatur circa materiam ipsorum utrũq;, æternus fuerit habitus & priuatio, etiã si nõ hic habitus uel priuatio æterna. Quòd aũt necessariũ semper hęc esse, apertum est. Primũ quidẽ ex eo, quod materia cũ sit ęterna, nõ possit esse sine forma, pręterquã cogitatione tantũ. Præterea ex eo, quòd cũ sit potẽtia òpposita & cõtraria, quod actu simul in cõtrarijs esse nõ possit, necesse est, quando ipsi alterũ contrariorũ adfuerit, alterũ esse potẽtia. Quod aũt esse potest, est in illius priuatiõe, quod potest esse: necesse est materiã semper esse cũ forma aliqua & priuatione. Si autẽ est semper cũ utrisq;: nec unquã assumi poterit materia, quę omnia quę esse potest, actu simul sit, uel omnia quæ esse potest, potentia. Nihil autem eorum quæ potest, actu est: ipsa enim nihil posset: prima cõtraria esse æterna, necesse est.

Quòd nõ forma in materia, ut in subiecto.

XVII

Si aliqua alicuius forma est in subiecto, uel in materia in subiecto est prima, uel in

in corpore cuius forma eſt: uel in eo quòd in ipſa mutatur, corpore. Nõ autem fieri poteſt, ut in prima materia ſit in ſubiecto: quòd nec ab initio ſubiectum eſt talis materia actu, ſed ad hoc ut ſit opus habet ut forma inſit. Neq; enim fieri poteſt, ut materia ſine forma ſubſiſtat, nec forma ſine materia. Vtrunq; enim ipſorum altero indiget, ad hoc ut actu ſit, & ut ſubſiſtat. Oportet autẽ id in quo aliquid eſt, ut in ſubiecto, ipſum actu primum nihil eſſe, ad hoc ut ſit id quod ſubijcitur, adiutũ ab eo quod in ipſo eſt, ſubiecto. Sed neq; in quo eſt corpore, & cuius forma eſt, fieri poteſt ut ipſa in eo ſit, ut in ſubiecto. Pars enim eius eſt, ſiquidem per eam ipſi ſuum eſt eſſe. Sed neq; in eo quod in illa mutatur, corpore fuerit, quod neq; eſt illa à principio, ſed corrupta eſt. Per formas enim corporũ mutatio, eſt corruptio. fieri ergo nõ poteſt, ut ulla forma materialis, quæ alicuius forma eſt, ſit in ſubiecto. Si autẽ eadem eſt forma & anima animati corporis, nec ipſa in ſubiecto fuerit, nec in animali. animalis enim pars principalis, anima eſt. neque in eo corpore, quod in animatum corpus mutatur: quomodo enim in corrupto fuerit? Corruptio enim illi fuit, in animatum mutatio. Et omnino fieri non poteſt, ut anima ſit in aliquo, quod animam non habet. Quod autem ab initio non eſt in

aliquo, nec in ipſo ſubiecto fuerit. Si autem in quo eſt corpore, forma eſt: illius & pars. In quo autẽ non eſt ab initio, nec in ſubiecto ipſo fuerit, anima in ſubiecto aliquo nõ fuerit.

Quòd fieri non poteſt, ut mundus ſit per Dei uoluntatem incorruptilis, ſi ſua ſit natura corruptilis. XVIII

POſſe eſſe uel fieri, de iis propriè prædicatur, quæ contingunt & non eſſe & non fieri ea, quæ dicuntur poſſe eſſe uel fieri. Dicimus ergo hoc fieri poſſe, quod fieri poteſt ut ſit uel fiat, ſi non ſit prohibitum. Neq; enim in hoc ut omnino fiat, eius quod fieri poteſt, eſt iudicium: ſed in eo quod nõ ſit prohibitum ne fiat. Nihilo ſecius enim fieri poteſt, quod non ab aliqua circumſtantia fieri prohibetur, etiam ſi id nõ fiat ad quod habet aptitudinem. fieri enim poteſt ut Dion ſit grãmaticus, donec ſit, etiã ſi nõ fiat: niſi ſit, quod eum grammaticum fieri prohibuerit. Si autẽ tale eſt id quod fieri poteſt: clarum eſt quod in quibus uerum fuerit, hoc quidpiã fieri poſſe, in his etiam fieri poſsit, ut hoc ipſum non fiat. Quod autẽ ex neceſsitate aliquid uel eſt uel ſit, hoc non uerum eſt dicere poſſe fieri, niſi quis eo quod fieri poteſt pro neceſſario utatur. Et quod fieri non poteſt, quod ſit eiuſmodi, eo quod ſit prohibitum, & ab eo quod fie-

ri poteſt exciderit, propter eam quæ ipſum prohibet circumſtantiam, ne id fit quod ſua natura fieri poterat, id in iis & fit, & dicitur, quæ ad hoc ut fiant & non fiant, ex propria natura præparationem habent, & aptitudinem. Quare palea quidem quæ uri poteſt, & nõ uri, ut uratur fieri non poteſt, ſi in atomo fuerit. Porrò & calculus qui uideri poteſt & non uideri, ut uideatur fieri non poteſt, quãdo in profundo fuerit: quòd prohibitus ſit ad actum uenire, quam ad alterum habebat eorum quæ poterat, aptitudo. non ita autem etiam fieri non poteſt, ut dimetiens ſit lateri commenſurabilis, quòd ſit prohibitus. Nam ab initio ſuſcipere non poteſt, ut poſsit lateri eſſe commenſurabilis: ſed incommenſurabilem eſſe ipſum ex neceſsitate dicentes, ut ſit commenſurabilis fieri non poſſe, de ipſo prædicamus. Et diuinũ eſſe ex neceſsitate incorruptile dicentes, fieri non poſſe dicimus ut ipſum ſua natura corrumpatur. Cum itaq; ſint duplicia quæ fieri non poſſunt, hæc quidem natura, illa uerò quod ſint prohibita: & ea quidem quæ natura fieri non poſſunt, ſunt eiuſmodi, ut quæ ſubſtantiarum ſunt oppoſita, eis natura inſint: quæ autem fieri non poſſunt, quod ſint fieri prohibita, ſunt ea quæ cũ ad hoc ut fiant, naturalem habent aptitudinem, ab aliqua quæ eſt in ipſis circumſtantia,

ſunt fieri prohibita: & ex ijs ea ſola fieri non poſſunt, quæ fieri poſſunt, quòd eorum quæ contingebant, uel fieri poterant, cùm potentia & non ex neceſsitate tale eſſet, aliquid ſit fieri prohibitum. Si mundus quidem, cum ſit genitus, habet in ſe poteſtatem ut corrumpatur, uel non corrumpatur: fieri poterit ut ab aliquo prohibitus, omnino corrumpi non poſsit. Si autem eſt ex neceſsitate, uel ex uniuſcuiuſq; quod genitum eſt natura, ut corrumpatur: quodcunq; genitũ fuerit, ei ex neceſsitate inerit, quod corrumpi oporteat. Cui autem ut corrumpatur ineſt ex neceſsitate, id ut non corrumpatur, nequaquam fieri poteſt, quòd ipſius natura æternitatem nequaquam poſsit aſſequi. Quare & mũdus cum ſit ex neceſsitate corruptilis, ſiquidem & ſua eſt ipſius natura genitus, nequaquam poteſt æternitatem ſuſcipere. Quod autẽ ſic ſua natura æternitatem non poteſt ſuſcipere, fieri nullo modo poteſt ut æternitatem ſuſcipiat. Quod autem ſic fieri non poteſt, cùm omnibus ſit eiuſmodi, dijs quoq; tale fuerit. Neq; enim quod alicui ineſt ex neceſsitate, fieri poteſt ut unquam prohibeatur quo minus inſit, & ut nõ ſic ſit ut ineſt. nec, quod fieri non poteſt ut ſit, ulla ratiõe fieri poteſt ut ſit. Sola enim illa ne aliquibus inſint, prohiberi poſſunt. quæ & ipſa habendi & non habendi naturalem habẽt
præ-

præparationem: & quæ etiamsi non prohibeātur, possunt in ipso non fieri. Quę autē ex necessitate aliqua consequūtur, fieri non potest ut ea fieri prohibeantur. Sic enim idem simul erit & id quod fit, & id quod non fit. Quod fit quidem, eo quòd necessarium erat fieri: quod non fit autem, eo quòd erat prohibitum. Hoc autem fieri non potest: fieri ergo nō potest, ut quod est corruptile, prohibeatur corrumpi: quoniam corruptili necessariū ut corrumpatur, & fieri non potest ut nō corrumpatur. Hoc etenim modo & corrumpetur, & non corrumpetur. Quod, quæ aūt sua sunt natura eiusmodi ut fieri nō possint, dijs quoq; sunt eiusmodi, Plato quoq; ipse testificatur per ea quæ dicit: Sed nec fieri potest ut mala pereant ô Theodore. Cōtrarium enim aliquid bono semper esse necesse est: neq; ea in dijs sita esse: circa mortalem autem hāc naturam ex necessitate circumire.

Quomodo contrariorum facultas eadem simul esse dicitur. XIX

EAdem contrariorum facultas esse dicitur, non quòd possint cōtraria simul circa id esse, quod habet ipsorum facultates: hoc enim fieri non potest: sed quod non sic habeat, quod habet contrariorum facultates, ut hoc quidem primùm debeat ex contrarijs su-

ſcipere: poſtea autem alterum. In omni enim tempore contingit, quod in neutro eſt cõtrariorum, eſſe in alterutro, & nõ in hoc definitè & determinatè. Quare & cõtrariorum facultates ſimul habere dicitur. Quod enim, quantum quidem ad eius quod contraria ſuſcipit, naturam attinet, quando alterum in ipſo eſt, contingit nihilominus alterum in ipſo eſſe: cauſa eſt, quod ipſorum ſimul facultates habeat. Præter ea enim quæ ſunt ipſorũ efficientia, id quidem quod eſt cõtrariorum primũ, in eo quod utrunq; poteſt ſuſcipere, fit, quod id adſit: non quod talem ad ipſum habeat habitudinem, uel cum uehementiore ac ualidiore facultate ipſum moueat. Si enim non ipſorum ſimul facultates haberet, ſed in alio & in alio tempore: fieri non poſſet, ut hoc quidpiam ex contrarijs id ſuſciperet: non quod alterum iam ipſum præoccupaſſet, ſed & cùm nullum adſit, adſit autem id quod eſt efficiẽs, quod ſuſcipiendi facultatem hunc ipſum nõ habeat. Si autem nullum eſt tempus, in quo id quod eſt contrariorum ſuſcipiens, ſit ſimiliter prohibitũ aliquid ipſorum habere: tũc enim ſolum, alterum eorum, in eo quod eſt ſuſcipiens eſſe prohibetur, quãdo ab altero eorum id quod eſt ſuſcipiens, præoccupatũ fuerit: quia fieri non poteſt, ut contraria inter ſe inuicem ſimul ſint. Nihil enim uetat, quod attinet

tinet ad eius quod potest suscipere naturam, quo minus id quod corrupit, id scilicet quod in suscipiente præexistit, nempe facultatẽ habere, id in ipso sit efficiens. Nam & quãdo est in altero contrariorum, tunc habet facultatẽ mutandi in alterum. Si enim quod est in altero contrariorum, facultatem non habeat mutandi in alterum, in altero manebit, non habens facultatem ut in id mutetur amplius. Si autem mutetur, clarum est quod eo quod suscipiendi & mutãdi facultatem habeat, quod libet in ipsum mutetur. Sed & illius quod est in ipso, cõtrarij facultatem habet. Neq; enim si esse non posset, in ipso esset. Quando enim alterius contrariorum facultatem habet, tũc & alterius: quare etiam amborum. Et quando alterum quidem prçoccupauit, poterat etiam alterum prçoccupare. fit autem alterum quidem eorum id quod habet, alterũ quod est habiturum.

Cur æstate sumus somnolentiores, si somnus sit propter congeniti nobis calidi ad internas partes obsistentiam. XX

SI somnus fit propter congeniti nobis calidi ad internas partes aduersantẽ & reluctantem compresionem: æstate autem foràs potius exprimitur: cur æstate sumus somnolentiores? Vel somnus fit, quod à deorsum

 lata

lata ex capite ad thoracem exhalatione comprimatur congenitum nobis calidum. Eius enim eo in loco cõtractio, ut sint sensus ociosi, causa est. Ociosi autem fiunt propter calidi circa thoracem retentionem, donec quæ deorsum lata est crassa euaporatio, à retenta ab ipsa caliditate quę densa illic contracta & cõpressa est, concoquatur, & attenuata discernatur ac disgregetur. Et ipsa quidem causa est somni, qui in nobis & hyeme & æstate fit. Sed hyeme quidem, quod ab ambiente nos frigido aere, refrigeretur superficies, non similiter innatum nobis calidum ad ipsam effluit, & ei circumfunditur: sed est circa thoracẽ & cor plus congregatum. Quare nec ab ea quæ deorsum fertur exhalatione, similiter continetur: etsi contentum ac compressum, propter multitudinem celeriter concoquit, & quæ ipsum retinet exhalationẽ attenuat. Quare nec faciles hyeme somni sunt, nec diuturni. Aestate autem propter superficiei raritatem, quæ fit ab ea quę est in ambiẽti aere, caliditate, innatum nobis calidum quod ad ipsam fertur & perspiratur, minus est & circa thoracem, & cor. Quare ab ea quæ deorsum fertur, exhalatione uictum, & facilè compressum, cum ipsum propter paucitatem non possit similiter disgregare & attenuare, amplioris somni nobis æstate causa fit. Fortasse aũt etiam noctiũ breui-

breuitas plus nobis opinionis præbuerit, quòd æstate uideamur plus dormire, quòd diei etiam nos apprehēdat aliquid. Fuerit autem etiam propter sensoriorum imbecillitatem, quæ fit à nos ambiente æstate caliditate, maior somnus æstate. Cum enim fiant ipsi sicciores ab externa caliditate, & propterea operari nō possint, in somnum deprimimur, cū, quod in ipsis est, proprium & innatum calidum, fiat ad actionem imbecillum: quòd ab exteriore calido, quod est amplius, uincatur. Quo etiam modo lampades à diei luce uincuntur.

In quo prædicamento est motus.

XXI

MOtum si quis non recipiat in ijs quæ sunt quantitatis, quod in prædicamē tis inter ea quæ sunt quantitatis non situs sit: dici possit esse ad aliquid. Cui autem motui existenti adest ut sit ad aliquid, id fuerit affectiò seu passio. Si moueri enim est aliquid pati, passionis autem præsentia patitur quod patitur: & id quod mouetur, præsentia motus mouetur: passio motus fuerit. Passio aūt, qualitas. Tertia enim qualitatis species, passiuæ qualitates & passiones. Imperfecta ergo operatio, quæ est passio, fuerit qualitas. Perfecta autem actio adhuc fuerit & sub prædica-

mento

mẽto aliquo. Vel fuerit eiusmodi actio & perficiens actus forma: formarũ autem aliæ quidem naturales, aliæ uerò artificiales. Et sunt naturales quidem formæ, substantiæ: artificiales uerò, qualitates: fuerit & operationum ipsa differentia. Sunt autem & naturalium formarum qualitates, quæ ad subiectorum substantiam non conferunt: sed ad hoc ut tales sint. Quid ergo oportet dicere lucem esse? Nã & ipsa cum sit actus perficiens perspicui, quatenus est perspicuum, non est natura perspicui forma, lux, nec eius est aliqua substantia: nõ est enim unà cum perspicuo. neq; est in ipsius substantia: sed præsentia alicuius in ipso fit, & secundum habitudinem alias ad aliud, fuerit passio quædam & ipsa, quæ fit per habitudinem & præsentiam alicuius in perspicuo, quæ cum colore habet proportionem & conuenientiam, ut ait Aristoteles. Veluti colorem enim, lucem dixit esse perspicui.

An quod in aliquo mouetur, per priorem ipsius partem prius mouetur.

XXII

SI quod in aliqua magnitudine mouetur, per priorem ipsius partem prius mouetur: propterea enim est in tempore motus, quod fieri nõ possit, ut quod mouetur, simul in toto subiecto repentè & cõprehensim moueatur:

ueatur: sed oportet hanc quidem ipsius partem primũ peruadere, illam uerò posterius. si itaq; per priorem magnitudinis partem mouetur primùm, quod mouetur: si est in infinitum, quod est prius magnitudine, in infinita quod mouetur, mouebitur: & quodcũq; infinito spacio motum fuerit, per priores etiam infinitas partes motũ fuerit. Sed infinita peruadi & percurri non possunt. Vel ergo nõ ad infinitum fuerit continui sectio: uel non per ea quæ sunt prius, prius est motus: uel fit per priorem quidem magnitudinis partem motus prius. Sic quidem certè per priorem partem, ut est in continuo, hæc quidẽ prior pars, illa uerò posterior. Non enim aliter quidem in illo est: aliter ipsum quod mouetur, perua dit assumenti. Quomodo ergo est in cõtinuo pars prior & posterior? Nunquid si sit quidẽ actu, non fuerit amplius continuum: nec fuerint ipsius partes diuisæ & actu in toto? Eo enim quod sit indiuidua magnitudo, cogitatione autem diuisa, eo est continua. Si esset enim actu diuisa: nec ipsa una esset magnitudo, nec motus unus: si itaq; nõ actu sunt partes, quæ sunt in toto, restat ut potentia ipsæ sint in toto & continuo. Ac prius quidem & posterius, erit in eo quod est continuum potentia, non actu: & quod in ipso mouetur, ita per id quod est prius mouebitur, ut & est in magni-

magnitudine. Et ſicut eſt in magnitudine, potentia, ſic & ipſum in ea mouebitur. Hoc autẽ faciet, ſi non ut ipſam diuidens moueatur, & actu faciens in ipſa aliquid prius & ſecundũ. Quod autem ſic mouetur, quando fuerit motum in magnitudine: ut habuit magnitudo priora in infinitum, ſic & per ipſa motum fuerit. Habebat autem illa potentia priora in infinitum: & hoc quoq; quæ ſunt potentia priora, in infinitum peruaſerit, quod ſatis fieri poterat. Neq; enim ponebatur, quę potẽtia ſunt infinita, peruadi non poſſe, ſed quæ actu. Diuidit autẽ &, qui uult numerare, priora, quæ peruadit, id quod mouetur.

Quod ſi terra ſit corruptilis, non contingit ipſam etiã ſimul aliquando corrumpi. XXIII

SI cõtingit hanc glebam in hoc cliuo corrumpi, & in omni parte terræ ſic uerum ſit contingere ipſam corrumpi: omnem quoque terram corrumpi contigerit. Si autẽ hoc ita eſt, terram quoq; non eſſe cõtigerit: quod fieri non poteſt. Neq; enim eſſet mundus, ſi id tolleretur, circa quod ei corruptio. Nunquid non ſequitur, ut ſi totam terrã corrumpi contingat, id tamẽ nũquam ſimul? Hoc enim fieri non poteſt. Si omnia enim per cœleſtium motũ ex alicuius in aliquid aliud fiunt mutatione: ſic & ex aliquo alio in terrã. Porrò

rò autem & in hominib. est eadem ratio. Nõ enim si omnes corruptiles, sunt etiam simul omnes. Qui autem inductione ostendit per id quod unumquemq; eorum qui monstrantur, cras contingit corrumpi: non etiam omnes simul cras contingere corrumpi, rectè sumit. Et si enim sumpserit omnes quos actione est persecutus, cras simul corrumpendos: non iam omnes quoq; sumpsit, quod non omnes sit persecutus. Pręterea autem nec quos persecutus est, sic sumpsit, tanquam eos omnes simul contingeret corrumpi: sed tãquam unumquenq;. Quare non ex hoc colliget omnes simul, sed omnes ut quencunque eorum. Quemadmodum et in sectione in infinitum, & omni ex parte: non quod ex omni parte simul, sed quod in unaquaque. fortasse autem nec similiter terram esse necessarium est, et hominem. Sed terram quidẽ esse simpliciter necesse est, hominẽ autem ex suppositione. Propterea enim nõ simpliciter necessaria est propositio, quæ dicit hominem esse ex necessitate animal: sed cũ hac distinctione, Donec homo fuerit.

Expositio eius, quod in primo Naturalis auscultationis in fine ab Aristotele dictũ est, quòd inuenta materia etiam antiquorũ dubitationes soluerit. XXIIII

Diffe-

Differunt demonstrationes duæ,quę in primo naturalis auscultationis in fine dictæ sunt:per quas, cùm & de materia & de priuatione dixisset,dicit inuentam hanc materiam antiquorum dubitationem soluere, per quam generationem & corruptionē tollebant, quòd oporteret quidem id quod fit, uel ex eo quod est,uel ex eo quod non est, fieri. Nō ex eo autem quod non est.Prius enim esset quod fit, si fit quidem, quod nondū est. Quod autem fit ex eo quod est, ex eo quod prius erat,dicatur fieri. neq; ex eo quod non est,esse:quòd nihil ex eo,quod non est,fiat. Quas autem huius dubitationis solutiones dixit, sunt. Vna quidē per id quod per se uel per accidens est,uel non est. Alia uerò per id quod est potentia,uel actu.Sunt autem hę:si quis,accepta materia,dicat ex ea quidem per se existente,per accidens autem non existēte, quæ fiunt, fieri: & similiter,ex ea rursus fieri quæ fiunt,potentia quidem existente, nō existente autem actu.Per se quidem existente in sua ipsius natura. est enim aliquid, quod est, materia. Per accidens autem,non existente: quòd priuatio quæ per se est, ꝙ non est,ei accidit.Neq; enim aliter ex materia fieri posset aliquid, nisi ei accideret priuatio eius, quod faciendum est.Et potentia quidem existente:

quo-

quoniam potentia est materia id quod fit. Actu autem non existente: quod nõdum est id quod fit. neq; enim fieret. Hæ à se inuicẽ differunt, quod prima quidem ab eo quod est generationi subiectum, & naturæ præexistit, fiat. Talis enim est materia sua natura, ex qua fit ut quæ fit quidem secundum suam naturam: non fit autem per eam, quæ illi accidit, priuationem. Secunda autem ab eius habitudine, ad id quod fit. Eo enim quod posit quidem fieri id in quod mutatur, nondum autem fit in ipso, id quod fit, ex ea fit. Nam & si iam esset in ipso, non fieret: & si non esset quidem, fieri autem non posset, non posset fieri ut in ea mutaretur. Neq; enim fit aliquid eorum quæ fieri nõ possunt. Eo itaq; quod posit quidem in id, quod potest, mutari: actu autem nondum in ipsum mutata sit, eo fit id quod ex ea fit. Ei autem inest ut posit, ex propria natura. In eo enim consistit, quod ea sit materia: quod autem nondum actu sit, à priuatiõe. Potest autẽ quis in prima solutione, quæ dicta sunt diuidere: ut hoc quidẽ in priuatione dictum esse, illud uerò in materia, dicat. Cum enim sit quidem priuatio, quod per se non est: est autẽ per accidens, eo quòd materiæ, quæ est, accidit: materia autẽ per se quidem fit, per accidens autem non fit, eo quòd priuatio, quæ est id quod non est, ei accidit:

eum qui antiquorũ soluit dubitationẽ posse dicere, etiam ex eo quod non est simpliciter, fieri, quæ fiunt: & ex eo quod non est simpliciter, & neutrũ quidẽ ipsorum seorsum ad alicuius generationẽ satis esse. Neq; enim quod nõ est simpliciter, q, nihil ex eo q, sic nõ est, fit. neq; quod per se est: iam enim esse. fieri autẽ utraq; generatiõis causas. sed id quidẽ quod non est, & priuationem, non per se. Ex ea enim re uera fieret, si quod sustinet, in id quod est ipsi contrarium mutaretur. Hoc autem fieri nõ potest. Neq; enim sustinere et alicui subiectum esse potest, quod sua ipsius natura nõ est. neq; quod est alicui contrarium, potest seruatum id suscipere, quod est sibi contrarium. Per accidens autem quod fit, ex ea fit, quod ex quo fit, fit autem ex materia, ei priuatio ex necessitate accidat. Et sic quidem ex eo quod non est, fit generatio: non per se, quomodo enim posset? sed quod cum tale sit, ei, quod est, accidat. Ex materia autem fieri quidẽ per se, quæ fiunt. Cum enim sua sit ipsius ratione id quod est & sustinet, & suam seruans naturam, eius quod fit, formam suscipit. Ad quam mutationem eius quod fit, priuatio confert, quæ præexistit, & ipsi accidit. Omnibus enim quæ fiũt ex materia, generatio est per eã, quę ex priuatione, in ea quæ fiunt, fit, mutationẽ. Quare nec ex priuatione, & ex eo quod non

est

est per se generatio: quatenus est quodãmodo id quod est, quod materię, quę est id quod est, acciderit. Neq; ex materia, & eo quod est per se: siquidẽ quatenus est priuatio, est eius in formam mutatio.

Quædam, quæ ad ea quæ de prouidentia dicuntur, conferunt. XXV

SVbstantiarum, ut uult Aristoteles, alia quidem est incorporea, & sine corpore, forma quædam materiæ expers, actus quidã existens ab omni facultate seu potentia seiunctus: quam substantiam, mentem siue intelligentiam appellat. Intelligentiam autem actu semper intelligentem, & mente agitantem, et id intelligentem quod est omnium optimũ. Hoc est autem ipse. Seipsum autem intelligit hæc intelligentia. Quod est enim maxime intelligibile, quæ est maxime intelligentia, intelligit. Est autem maxime intelligibilis forma, quæ est sine materia. Est enim sua substãtia intelligibilis eiusmodi substãtia. Materiales enim formæ sunt quidẽ intelligibiles, sed non sua natura: sed nec per se. Sed eas intelligẽs intellectus, intelligibiles ipsas facit, ipsas à materia mentis agitatione separans, & tanquam ipsæ per se sint, sumens. Quæ autem ab omni materia & omni potẽtia sua natura separata est, est propriè intelligibilis. Atqui ta-

lis substantia est prædicta intelligentia. Quare seipsum intelligit. Etenim si talis substãtia, quæ nihil habet potentia, est actu semper intelligibilis: est autẽ actu intelligibilis, quod semper actu intelligitur: intelligitur ab intelligentia, quæ & æterna & actu est. Talis autẽ est prædicta substantia, quæ prima substãtia, & intelligentia prima, & primum intelligibile, & intellectus semper intelligens, & in eo substantiam habens. Omnis enim intelligentia quãdo operatur, seipsum intelligit, quod fit ipsa quidem operans idem quod id quod intelligitur. Siquidem eius quod intelligitur apprehensione, fit intelligere. Apprehẽsa autem eius quod intelligitur forma, fit quodãmodo id quod intelligitur. Quodammodo autem dixi, quod in quibus quidem quod intelligitur, est materiale, in iis non simpliciter intelligens intelligentia fit id quod intelligitur, quod non unà cum materia formam apprehendat. In quibus autem id quod intelligitur forma est à materia separata, in iis fit simpliciter intelligens intelligentia, idẽ cum eo quod intelligitur. Quando autem ei quoque quę intelligit, adfuerit, ut ipsa per se sit intelligentia, tunc fit omni ex parte seipsum intelligens: maxime si adsit ut nihil sit aliud & à materia separabile, & per se intelligibile, præter intelligentiam. In materialibus enim

spe-

ſpecie ac forma eadẽ, non numero fiunt, quæ eiuſdem formæ communionem habent, ut quæ in numero ſecundum numerum differẽtiam habeant. Quæcunque autem cum ſint eadem, ſunt formæ materia carentes, ea non ſolum ſpecie, ſed & numero eadem ſunt. In numero enim omnia, ut compoſiti puncti, & lineæ, & ſuperficies. Et talis quidem eſt, prout paucis oſtendi potuit, prima & incorporea, & immobilis, & æterna ſubſtantia. Poſt illam autem diuinum corpus, quod circulo fertur, animatum, & quod per animam mouetur. Quia autẽ quicquid per animã mouetur, uel propter alicuius rei deſideriũ, uel ut aliquid uitetur, mouetur: quod circulo autem fertur corpus, per animã circulari motu mouetur, qui ſolus ex omnibus motib. eſt & æternus, & continuus & æqualis: manifeſtũ, quòd propter alicuius deſiderium moueatur. Atqui cũ omnis corporea ſubſtãtia ſit illo corpore poſterior, ut propter ullius horum deſiderium moueatur ipſum fieri nequit. Reſtat ergo, ut primam & æternam & immobilem ſubſtantiam deſiderans, æterno motu moueatur. Et eſt ei quidem hoc deſiderium, non ut id accipiat, ſed ut pro uiribus ei aſsimiletur. Motu autem ei aſsimilatur, propter æternitatem & ſimilitudinem, & æqualitatem motus. Statui enim quodammodo ſimilis eſt ambitus, qui

ſemper in iiſdem & eodē modo ſe habet. Iam uero & perfecta aſsimilatio eſt, eorum quę ipſi aſsimilantur, uniuſcuiuſq;, quoad eius fieri poteſt, perfectio. Eius autē quod circulo fertur, corporis perfectio, eſt talis ambitus. Et cùm diuini corporis ſint plures ſphæræ, prima quidem & omnium extrema, ſimplici & uno motu mouetur, illius ſubſtantiæ deſiderio. Quæ ſunt autem deinceps ſeptem, mouētur quidem etiam unaquæque earum deſiderio & appetitione alicuius ſubſtātiæ, cuius ea quoq; quæ eſt ante ipſas: ſed non eo ſolo mouentur: ſed etiam unaquæq; ex ſeipſa mouetur & circūfertur aduerſo illi motu, quod ſitum & ordinem talem habeat. Mouetur autem etiam ſecūdo motu, à prima circumacta eodem motu quo ipſa. Duplicis autem eſt eis cauſa motus, quod oporteat etiā eſſe aliquod aliud corpus, præter æternum & diuinum, quod ſit in generatione et corruptione. Nam ad diuinum ipſis ambitum confert etiam tale corpus. fieri autē non poteſt, ut eiuſmodi corpus maneat æternum per ſpeciem, niſi uariis illorum motibus gubernetur. His autem hoc modo habētibus, ſi quis uelit dicere, quodcunq; id ſit, quod per aliquid et ab aliquo mutationem habet & motum, eius curā geri, & ei prouideri: omnis corporeæ ſubſtantiæ & æternæ, & eius quę eſt in generatione & corruptio-

ruptione, prima ſubſtantia quæ eſt æterna, & immobilis & incorporea curam geſſerit, & ei prouiderit. Si quis autem eorum ſolùm curã geri & eis prouideri dixerit, quorum gratia id quod eis prouidere dicitur, aliquibus actu operationibus moueatur: ſolius, ut ſentit Ariſtoteles, ſublunaris corporis cura geritur, & ei prouidetur. Id autem eſt quod eſt materiale, & quod eſt in generatione et corruptione: quandoquidem huius gratia ordinatæ mutationis & æternæ per ſpeciem mutationis, ex corpore quod circulari motu fertur, quę ſunt poſt primam, quę etiam non erratica dicitur, ſecundo motu mouentur: quoniam iјs quæ generantur & corrumpuntur, uario motu opus erat. Neq; enim fieri poterat, ut ſimiliter ſe habentia diuina omnia, ſimul quidem generationis, ſimul autem etiam ordinatæ corruptionis cauſa iјs quæ hic ſunt fierent. Per quas generationes & corruptiones quæ hoc modo fiunt, æterna hæc quoq; per ſpeciẽ manent, quodam etiam in illis uario motu.

Quomodo forma in materia, utrum per ſe, an per accidens. XXVI

SI quis dicat in materia fieri formam per ſe, erit in materiæ ſubſtãtia, forma per ſe: ſiquidẽ quod alicui per ſe ineſt, eſt in eius ſubſtantia. Sed ſi ita eſt, unà cum corrupta forma

corrumpetur etiam materia, cùm in materiæ quoq; substantia forma est. Neque enim fieri potest ut materia sit sine propria forma: sed corrupta forma, uel separata, fieri non potest ut illa sit materia, cuius erat illa forma, sed est simul. Quare ad hoc ut sit materia, ei confert formæ præsentia. Vel ergo inest per se forma materiæ, ut quæ sit in ipsius substantia, ut animali homo, & omni quod est in ipsius substātia, quidpiam quod ei per se inest. Prterea in sua natura non habebit, ut sit formarum susceptrix: sed ipsas formas habebit. Præterea unaquæq; materia habebit omnes formas: quod fieri non potest. Est enim & in materialibus formis contrarietas, ut in elementis uidemus. Ex quo manifestum est, quòd non omnes in ipsa. Præterea si ipsa haberet, non esset per generationem mutatio. Si autem alia aliam, unaquæq; ex materialibus esset incorruptilis. Si esset autem corruptilis, unaquæq; cum ea materia corrumperetur. Ostensum est autem, eam esse æternam. Sed nec ut materiæ accidentia in ipsa formæ sunt. Ipsa enim erit in subiecto: & uel, quæ sunt substantia, erunt accidentia, quod est absurdum: uel si accidentia, accidentium quoq; naturæ fuerint, erit, quæ utrumq; habet, substantia, ex materia & accidentibus. Sic autem non erit simpliciter substantia, quæ ex utroq; composita est sub-

stantia:

ſtantia: ſed ſicut unũquodq; eorum quæ arte fiũt. Præterea ſi materia quidē ſine forma eſſe poſſet, in ipſa ut in ſubiecto forma eſſe poſſet. Si autem cum forma eſt ipſi ſua ſubſiſtētia: & ſic eſt in ipſa, utpote ſubiecto, ea quæ ſit forma, ut quæ ſit cũ forma, & ſubſiſtat, ac ſit corpus: uel in illo erit corpore quod habet formã, ex quo eſt materię in eam mutatio: quod fieri nõ poteſt. Quomodo enim in eo quod corrumpitur, per in eam mutationem ineſſe dici poteſt, quod illo ſeruato in ipſa fieri nequit? Vel in ea quæ habet hanc formã in quã mutata eſt. Sed neq; hoc fieri poteſt. Siquidē hoc quidem corpus, ex materia & eius forma eſſe habet. Nihil autem eſt quod ſit ipſum ſibiipſi accidens. Et eſt in ſubiecto, quod nõ ut pars eſt in eo, in quo eſt. forma autem huius eſt pars ſubiecti. Nunquid ergo ſic acciderit in materia forma, & ſic in ſubiecto per ſe fuerit, ut alicui per ſe ineſſe dicuntur, quę ſunt in ipſius ſubſtantia. Sed quoniam alius erat etiã modus eius quod per ſe ineſt, cuius & Ariſtoteles & Theophraſtus in poſterioribus Analyticis meminerunt: hic autem eſt per quem dicebatur id per ſe alicui ineſſe, cuius in definitione, id cui ineſt, aſſumitur. Quo quidem modo eius quod per ſe eſt, par numerus & impar, numero inſunt. Vtrũq; enim ipſorum definiētes, numero in definitione utimur, di-

centes imparem quidem numerũ,qui in inęqualia diuiditur:parem uerò,qui in æqualia. Videtur enim etiã in materialis formæ ratione materia assumi in qua est. Cuilibet enim rei materiali per formam ratio est. Secundum eam enim,quod quid est,ei esse est. Verumenimuero eius etiam materię meminisse necesse est. Nam & carnis,& ossis,sed & manus, & faciei rationes sunt eiusmodi. Porrò et animã definientes,quæ est forma materialis, in eius definitiõe,etiam id cuius est assumimus. Hoc enim significatur à corpore naturali instrumentario. & sicut in numeris non omnis qui dẽ numerus impar, nec omnis numerus par: sed omnis quidẽ par numerus est numerus, & omnis impar similiter numerus. Et sic etiã in forma & materia,non omnis quidem materia cum hac quapiam forma est: omnis autem materialis forma in materia. Et sicut in illis numerus quidem non perit, in ea quæ est in parem uel imparem,mutatiõe: par autem & impar uicissim in ipso corrũpitur,per eam quæ fit in formas mutationem:formæ quidẽ certè alternis corrumpũtur:Sic & materia nõ perit in ea quæ fit in formas, mutatione, sed formæ quidem certè alternis corrumpuntur in materiæ in ipsas mutatione.

ALEXANDRI APHRODI-sei Naturalium difficilium dubitationum & solutionum Liber II.

Quod ijs qui magnitudinem & tempus ex indiuisibilibus componunt, sequitur, ut quæcunq; moueantur, in indiuisibili æqualiter moueantur.

I



Si magnitudo & tempus ex indiuisibilibus composita esse dicantur, cõsequens erit, ut quęcunq; mouentur, in indiuisibili æqualiter moueantur. Si enim hoc quidem fit uelocius, illud uerò tardius, quod in indiuisibili mouetur: si, quod celerius mouetur in indiuisibili tempore, in ipso mouetur: id quod est tardius, necesse est in ampliore in ipso moueri & diuisibili. Si autem in tẽpore diuisibili, diuisibilis erit & magnitudo, in qua motus. Si quis enim dicat, id quod tardè mouetur, in indiuisibili non moueri, nec in tẽpore indiuisibili: is nec id quod tardum est, omnino moueri dixerit: siquidẽ & magnitudo ex indiuisibilibus composita est, & omne tempus: in nullo autem indiuisibili moueri potest quod tardum est. Aequaliter itaq; mouebuntur omnia, quæ in indiuisibili mouentur. Si autem in indiuisibili æqualiter: & in omni magnitudine æqualiter mouebuntur.

uebuntur: siquidem omnibus magnitudinibus est ex indiuisibilib. cõposito: quod enim id quod est subtile, totum in indiuisibili simi liter & ęqualiter moueatur, aliud autem alio tardius moueri uideatur, quod, propter eorum quæ in ipso sunt, insectilium corpusculorum reuerberationem subsistat & hæreat, hoc est commentitium. Præterea autem quo modo non apparent, quæ sic mouētur, si motus sit ipsis tardus, sed extensio prohibet ipsa continuè moueri: & maximè si est multipliciter celerius, id quod est celerius. Sic enim ꝙ tardè mouetur, lõgiori tẽpore stabit, quàm mouebitur. Si enim quod celeriter mouetur, hora una aliquod spaciũ peruaserit, idipsum autem quinq; horis, quod tardè: oportebit ipsum quidem una hora moueri: quatuor au tẽ stare. Est autem absurdum, id quod lõgiori tempore stat, stans non cerni: cerni autem quod mouetur quinq; horis, idq; æqualiter.

Expositio eius quod in primo De Anima, ab Aristotele dictum est, ad refellendum animam non esse per se mobilem. Hic autẽ est eius quod dicit contextus. 11.

» Atqui si etiam ipsa seipsam mouet, &
» ipsa quoq; mouebitur. Quare quoniã
» omnis motus est ab eo quod mouetur recef-
» sus: si mouetur etiã anima, à sua substantia re

cesse-

cesserit, si non mouet seipsam per accidẽs, sed „ est motus ipsius substantiæ per ipsum. Anima, inquit, si seipsum mouet, uel per aliud quũdpiam mouet, per aliud autem mouetur. Et sic erit per se mobilis, sicut & animal per se mobile dicimus: eo enim quòd hoc quidem moueat, illud uerò moueatur, dicimus totũ esse per se mobile. mouet enim id quod in ipso est, anima: mouetur autem corpus. Et nec anima, eo quòd mouet, mouetur: & nec corpus, eo quòd mouetur, mouet: mouetur enim. Et facultatum ergo animæ si sic moueatur, hæc quidem est quæ mouet, illa uerò quę mouetur. Et nec quæ mouet, quatenus mouet, mouetur: nec quæ mouetur, quatenus mouetur, mouet. Sic ergo erit quod primum mouet, etiã in anima immobile. Si enim rursus quæ mouet facultas, moueri dicatur: uel à seipsa, uel ab alia mouebitur. Si ergo ab alia, in infinitum procedet: uel erit aliquid quod primum quidem mouet, est autem immobile. Si autem sic à seipsa fuerit uel per se mobilis, ut quæ quatenus mouet, moueatur: melius, ipsam animã sic dicere per se mobilem. Sed si anima sic per se mobilis dicitur, ut quatenus mouet, per hoc moueatur, uel ut si quatenus anima, mouet, etiam, quatenus anima, mouenda sit: si per aliud quidpiam moueatur, ut, uerbi gratia, per locum, non per idem mo-

mouebit & mouebitur. Quatenus enim anima, mouens, non quatenus anima, mouebitur: si quidem per locum. non enim per locũ anima. sic per aliud quidem mouebit, per aliud uerò mouebitur. non sic autem dicebatur à seipsa moueri. Quatenus ergo anima mouebitur. Sed si quidquid per aliquid mouetur & mutatur, ab eo recedit, per quod mouetur: quod per locum quidem, à loco: quod autem per affectionem, ab affectione: quod uerò per magnitudinem, à magnitudine: Id quoq; quod per animam mouetur, ab eo recedit, quod in ipso est. Quare si anima, quatenus est anima, à seipsa semper mouetur, & nõ per accidens, à substantia recesserit in qua est, & ab anima per quam ipsi suum esse est.

Quae'nam ex diuini corporis motu facultas immittitur ei quod illi propinquum est, mortali, & in generatione, corpori. 111

QVae'nam ex diuini corporis motu, ei quod est propinquũ, & mortali, & in generatione corpori facultas inditur? Nunquid alia quædam est ea natura, ab ea quę est propria uniuscuiusq; naturalium corporum, quam principium motus & quietis appellamus, ei cui primò inest per se, & non per accidens? Si enim ei quod ipsi propinquũ est, inditur corpori: iam & hoc propriam naturam habu-

habuerit, ut quod fit actu corpus. Omne enim corpus actu mortale, uel est aliquid quod est simpliciter, uel quod ex iis est compositum & mixtũ. Eorum enim unũquodq; habet propriam quandam naturam, uel etiã propter illam actu tale est. Sic ergo primus ignis talem à Deo facultatem acceperit: deinde & iis qui sunt deinceps post ipsum, eã tradiderit, ut omnia corpora, tali traditione, eius partem cœperint, hæc quidem plus, illa uerò minus. Sed si hoc ita est, quæsiuerit quispiã, quid unicuiq; corpori conferat eiusmodi facultas & natura. Secundũ propriã enim naturã, quę unicuiq; inest, secũdum quã hoc quidem est ignis, illud uerò aer, aliud terra, aliud aqua, ei ad propria loca motus fit, per quem unumquodq; ipsorum propriam perfectionem assequitur. Similiter & si in compositis hoc fiat corporib. etiã in illis nõ ad hoc ut fit homo, uel anima, plãta, uel unumquodq; ipsorum, quidpiam cõtulerit. Hoc enim iam eis adfuerit, ut igni, & unicuiq; simpliciũ. Sic ergo nec facultas illa causa utiq; fuerit, ut ex corporibus hæc quidem sint animata, illa uerò inanimata: & inanimatorum hæc quidem nutrientem solam habeant, illa uerò etiam sentiẽtem facultatem: alia autem præterea etiam rationalem. Ipsa autem constituta est, ut quæ sunt in ipsis, habeat differentias. Per hanc enim facultas-

cultatem diuina prouidentia ratione præditum animal hominem fecit:& propterea quę cunq; per rationem & intelligentiam homini adesse possunt, ea habere dictus est à diuina prouidentia. Nunquid ergo dicendũ est, ijs quidem quæ simpliciter præexistunt, corporibus & inesse & prius esse? Propter quam causam ipsa quidem nihil in se diuinum habẽt penitus (talis enim est anima) & eius sunt omnino expertia, quod non est in ipsorũ substantia talis facultas, quæ ipsis exterius, ijsq; præexistentibus accedat: sed sunt simpliciter corpora. quæcunq; autem ex horum naturali mixtione & temperatura fiunt, in eorũ generatione seminatam, diuinam quoq; facultatem & naturã, meliora et perfectiora ea corpora facere, simul afferẽtibus simplicibus corporibus, ad generationem eorum quæ ex ipsis fiunt, corporum diuinam quoq; naturam, cuius sunt participia, per propinquitatẽ. Per quam facultatem non amplius ea solius qui naturali momẽto fit motus, in se principium habent: sed animalem quoq; assumpserunt, qui principium & generationem habet ex diuina facultate: quæ quidẽ à natura & anima est pro quantitate simplicium corporum, ex quibus est quod ipsam habet corpus. Quorũ hoc quidem est diuinæ facultatis magis particeps, quod sit diuino corpori propius. Illud uerò

uerò minus, & propter maiorem distantiam, & propter diuersam ipsius cõstitutionis crassitudinem. Quæcũq; enim ex compositis corporibus plurimum terrę habent, terrestris cuiusdam animalis facultatis partem capiunt, quòd & plurima ipsius terræ substantia sit diuinæ facultatis minus particeps. Quæcunq; autem in se plus habent igneæ & calidæ naturæ, ea perfectiorem quoq; animam habent: quòd igne magis abundans corpus, sit quoq; diuinæ facultatis magis particeps. Sic itaq; secunda fuerit natura, quam diximus diuinam esse naturam: quæ ijs inest quæ sunt sub luna, corporibus, propter eam quę ipsi cum illis intercedit, propinquitatem: ut materia utẽs, ijs quę sunt simpliciter naturalibus corporibus, ad perfectiorum & animatorum corporum generationem. Quæ ergo ex simplicium corporum temperatura & alteratione fiunt corpora composita, quòd talem facultatem habeant, in eorum qui ipsam habent corporum mixtione quodammodò concretam & commixtam, perfectiora corpora fiunt, diuinioris naturæ & principij communionem affecta. Quæcunq; autem simplicium corporum compositione & appositione composita esse corpora uidentur, ea non utiq; huiusmodi facultatis & naturæ consequi partem possunt. Quorum unumquodq; simplicium corporũ

operatione suam seruat naturã in tali mixtione & compositione. Non enim ad sic compositorum corporum substantiam diuina facultas confert, quæ in unoquoq; eorum manet, qualis & ante ipsorum compositionem: cuius ad se inuicem & simplicium corporum generationis, dicere quis potest eam quæ ex diuinis procedit facultatem esse causam, ut quę eorum sit ipsa forma & natura. Materia enim quæ sua ipsius ratione & qualitatis & figuræ est expers, ab ea quæ ex diuinis facultatibus fit operatione, corpus est & fit, & formam & figuram suscipit: ut id quidẽ ipsius quod ad diuinum corpus magis accedit, & est ei propinquius, & est diuinæ facultatis magis particeps, formã ex caliditate & siccitate suscipiat, eæ enim sunt primæ earum quæ ab illis sunt ipsis mortalibus, affectionũ: illud uerò, quod ab huius mutationis & generationis causis plurimum distat, ut corporũ, uel ijs penitus contrariorum formam suscipiat: uel hãc quidem eorum, illam uerò his contrariorum formam & affectionem sumat, pro eorum aliàs alia ad ea quæ hic sunt habitudine, per eum qui in tali est circulo, motum uariè & differẽter formatum. Talis enim zodiaci dispositio, in quo mouentur sol & luna & aliæ ex stellis quæ erraticæ dicũtur, alicui quidem parti materiæ, ad quam magis uel propius accedit, ca

lidi-

liditatis & ſiccitatis cauſa eſt, in quibus igni ſuum eſſe eſt: alij uerò caliditatis & humiditatis, quæ eſt natura aeris: alij uerò eius quæ reſtat ex ſimplicibus primis duabus contrarietatibus, frigiditatis & ſiccitatis, quæ terræ naturam conſtituunt. Et tales quidem ſunt, quę ex diuina facultate procedunt, formæ in materia, & ſimplices & primæ formæ, quæ ſimplicium corporum ſubſtantiæ & naturæ cauſæ ſunt. Quæ autem ex eorum mixtione fiũt, & temperatura, ut quæ plurium facultatum & differẽtium corporum partem nacta ſint, & cõpoſitæ formę fiũt & perfectiores. Et perfectio & forma differens, ipſis fit pro ea, quæ in primis corporibus dicta eſt, differẽtia. Sũt enim eorum alia quidem ſubtiliora, & magis agentia. Eiuſmodi enim ſunt, quæ prope diuinorum & cœleſtium motum ſita ſunt: alia uerò craſsiora & magis patientia, quæ ab illorum motu plus diſtant. Quæcunque enim eorum quæ ſunt in temperatura & mixtiõe, ſubtilium & puriorum corporum plus habent, eorum forma eſt perfectior. Quæcũque autem huiuſmodi quidem corporis minus in ſe habent, patientis autem & craſsioris amplius, eorum forma eſt imperfectior.

f 3 Quod

Quod si id quod est in nobis, cuius oppositũ est Non in nobis, nec ipsum in nobis est, nec, quod est quidem in nobis, in nobis erit.

IIII

Sl id est in nobis, cuius oppositũ est in nobis: illud cuius oppositum nõ in nobis, in nobis non est. Id autem est in nobis, cuius oppositum nõ in nobis. Ei enim quod est in nobis, id quod non est in nobis, est oppositũ. Neq; ergo, quod est in nobis, in nobis est. Si autem quod est in nobis, in nobis non est, nihil ergo est in nobis. Ex eorum ergo sententia qui dicunt id esse in nobis, cuius etiam est in nobis oppositum, nihil est in nobis. Vel falsum est, quod si id quod est, esse in nobis, in nobis non sit, nihil est in nobis. Illud enim, esse in nobis id, quod est in nostra natura & substantia, in nobis non est: sicut neque esse rationales. Res enim quibus utimur, prout est id quod est in nobis, eæ in nobis sunt. eorum enim etiã opposita sunt in nobis. Vt sit enim aliquid in nobis, non est in nobis. Ambulare autem est in nobis, quòd etiam fit in nobis non ambulare. Etenim proprium oppositum eius quod est in nobis, propterea in nobis non est. Quod autem est nobis, in nobis est. Quòd ergo quæ sunt opposita, sunt in nobis, clarum est: & quod quæ in nobis sunt, in

rebus

rebus sunt agendis. Id autem est agendum, quod quidem est in nobis, quod est in ijs de quibus consilium capitur, & quæ aliter quoque habere contingit. Cùm ergo in ijs sit id quod est in nobis, meritò facultas illa per quã id est, quod est in nobis, in nobis nõ est. * Vtimur autem facultate hac, quæ tribuit, ut aliquid fit in nobis. Quemadmodum usus quidem rationis est in nobis: usus autem facultas in nobis non est.

Ea autẽ ad quæ utimur eo quod est in nobis, ea sunt in nobis.

De eo quod id etiam, quod est in nostra potestate, fato est. V

EI quod est, in nostra potestate esse aliquid, opponitur, in nostra nihil esse potestate. Vt id autẽ fit, quod est ei, quod in nostra est esse potestate, oppositum, fieri non potest. Atqui id, cuius oppositum fieri non potest, fato est: siquidem ea fato fiunt, quorum opposita fieri non potest ut sint, uel fiant. Vt fit ergo aliquid in nostra potestate, fato fit. Quod ergo id quod est in nostra potestate fato fiat, seruabitur eorum sententia, qui omnia fato fieri dicunt. Vel non est uerum, id cuius oppositum fieri non potest, fato fieri. Si enim idẽ esset, quod fit ex necessitate, & quod fato fit, sicut & eius quod fit ex necessitate, definitionis oppositum fieri non potest: sic & eius quod fato fit. Quod autem fit ex necessi

tate, amplius est quàm quod fato fit. Non enim quicquid fit ex necessitate, fato fit. Bis duo enim ex necessitate sunt quatuor, sed nõ fato: siquidem quod fato est, in ijs uersatur, quæ fiunt. quare eius quod fato fit definitio non fuerit, quæ dicit, cuius oppositum fieri non potest: sed hoc quidem etiam adfuerit ijs quæ fato fiunt, quoniam sunt & ipsa necessaria, sed non ut ipsis sint æqualia. Si autem nõ æqualia, non conuertentur. Non itaq; id omnino, cuius oppositum fieri non potest, fato fit, sed hoc est necessarium. non est enim eius definitio prædicta oratio. Quod itaq; in nostra est potestate, necessariũ quidem est: quod quidquid est in alicuius substantia, ei inest necessariò, sed non fato. Quæ enim sunt eiusmodi, ut cùm per causarum fatum fiant, eorum contrarium fieri non possit, ea fato fiũt.

Quomodo immobile fuerit, ex sententia Aristotelis, quod primum mouet: siquidem, ut ipse dicit, quatenus unumquodq; est eorum, quorũ est opus, propter opus. Dei autem operatio, est immortalitas. Hoc autem est uita æterna. Quare necesse est, Deo motũ esse æternum. VI

AN illud nõ est eorum, quorum est aliquod opus: siquidem opus quidẽ dicit

cit operationem, quæ est ut finis. Ei autē nullus est finis. Eius enim substantia operatio est & actus: sed nō est aliquid aliud quàm actus. Hoc aūt clarum est per id quod intulit, quod est. Quoniam autem cœlum tale, corpus ergo diuinum. Illud enim non tale.

Quæ est materia, quæ à priuatione quidem habet, ut sit qualitatis & figuræ expers: à forma autem, ut qualitate & figura prædita sit.

VII

Materia quæ à priuatione quidem habet, ut qualitatis & figuræ sit expers, à forma uerò, ut qualitate & figura prædita sit, sui ipsius ratione, quid erit? non enim ex his negationibus in materiæ natura. Ex sui enim ratione nec qualitatis est expers, nec est qualitate prędita: ut homo ex sui ratione nec à musica est alienus, nec musicus. Vtrumuis enim in propria ratione haberet, in alio non esset. Sic ergo & materiæ suum esse fuerit, nō in eo quod sit qualitate prædita, sed in eo quod aptitudinem & facultatem habeat, per quam sit qualitatum susceptrix. Vt autem nō sit qualitatis expers, ei accidit: quod ad eius substantiæ complementū nihil facit: sed quēadmodum cuilibet, quod potest aliquid susci pere, accidit ut non sit id cuius habet suscipiē

di facultatem. Cum autem in hoc sit cõfinio, fuerit etiam incorruptilis. Cui enim in hoc quod poſsit aliqua uicisſim ſuſcipere, eſſe eſt, id nec in eo quod in aliquo eorum nõ ſit, nec in eo quod ſit, à propria ſubſtãtia recedit. Neque enim ei perit eius facultas, qua poteſt, in quocunq; ſit eorum quæ poterat. Neq; enim cuiuſmodicunq; eorum quæ poterat, fuerit, eſt aliqua in materia negatio, quod materia ſuapte natura non eſt qualitate prædita. Cuiuſmodicunq; autem qualitate careat materia, quæ eſt qualitatis ſuſceptrix, fuerit materia qualitatis, ſua natura expers. Vel non eſt idem de ea dicere. Non eſt ſua natura qualitate prædita, & eſt non qualitate prędita ſua natura. Illud enim, eſt non qualitate prędita ſua natura, cum ſit affirmatio quæ ex trãſpoſitione dicitur, priuationi æquiualet. Hoc uerò, non eſt ſuapte natura qualitate prædita, eſt negatio, quę non utiq; priuationi æquiualet: quod eſt uerum in materia. Quæ eſt enim aptitudo ad aliquid, inter illud & priuationẽ eſt intermedia, etiã ſi in quo eſt aptitudo, fieri non poteſt ut ſit alterum ſine altero. Non enim idem fuerit aptitudo, quod priuatio. Suſtinet enim & remanet aptitudo, ut prædictũ eſt. Priuatio uerò corrumpitur. Quare nõ eſſe quidem qualitate præditam, in eius eſt natura. non ita autem, & eſſe non qualitate præditam,

ditam, Aristoteles in priorum Analyticorum primo, de ijs quæ prædicta sunt, sic dicit: Differt autem quod in affirmando præponere, uel idem uel aliud significat, uel non esse, & hoc & illud non esse: quemadmodum nō esse album, ab eo quod est esse non albū. Non enim idem significat. Non est enim negatio eius quod est esse album. Dici autem potest, quod etiam si maximè uerum est in materia, quod ipsa suapte natura sit qualitatis expers: sed hoc non est in ipsius substantia, sed ipsi accidit, sicut & qualitatem habere: sicut & homini, ut sit & musicus, & musicę ignarus. Porrò autem & cera cum suapte natura figura careat, si figuretur, non corrumpitur, cùm ei adhuc remaneat ut cera sit.

Quomodo non idem per idem definijt, qui animam esse definijt actum perficientem instrumentarij corporis potentia uitam habentis.

VIII

Si id quod potentia uitam habet, significat id quod potest uiuere: quod potest autem uiuere, est quod potest animam habere: quomodo non idem per idem definijt, qui animam esse definijt, actum perficientem corporis naturalis instrumentarij, potentia uitam habentis? Nunquid in animæ definitione non usus est eo quod est, potētia uitam

habentis: sed cum prius accepisset illud quod est, Potentia uitam habentis, postea quando reliquam tradit definitionem, adsumpsit, Instrumentarium: ad inueniendum & accipiendum id quod est instrumentarium, eo, quod est, potentia uitam habens, usus. Instrumentarium autem est, quod habet partes, quę diuersis possunt actionibus subseruire. Cui æquiualens accepit & illud, potentia uitam habẽs. Præterea, qui dixit animã perficientẽ actum corporis, quod potest uitam habere, non per idem definitionẽ tradidit. Cuiusmodi enim est corporis natura, in anima declarauit: non autem animam declarauit, nec per seipsam animam definijt. Nõ est enim idem uita & anima. Sed quod est quidẽ agẽs, uita est: quod per ipsum est & nutritio, & auctio. Quod autem potentia uitam habet, dixerit instrumentarium, quod habet ut per se poſsit etiam augeri. Quod non æquiualet ei, quod est, animam habere.

Quomodo non est anima ad aliquid, si est perficiens actus talis corporis.

IX

PErficienti quidem actui, qui est entelechia, forma æquiualet. forma autem nõ est ad aliquid, etiam si alicuius est maximè: nõ enim si quid est alicuius, protinus est hoc etiam

etiam ad aliquid. Nam & superficies, cum sit alicuius, non est ad aliquid. Sed & secundarũ substantiarum partes sunt quidem alicuius, non tamen sunt ad aliquid. Ad aliquid enim sunt, quibus idem est esse, quod se ad aliquid quodammodo habeant. Anima autem corporis quidẽ talis est actus perficiens: sed non est ei esse in eo, quod ad aliquid quodammodo habeat. Aliquid enim existens est corporis: sicut & caput aliquid existens, est eius, quod caput habet, caput. Ac simile quidem, quatenus simile: & æquale, quatenus æquale, in ea quæ est illorum ad quæ dicuntur, habitudine esse habẽt: & nihil aliud præter eam illius ad quod dicuntur, habitudinem esse habent. Anima autem & caput propriam quandam naturam & substantiã significant, cui alius esse accidit. Nõ autem si quid est alius, id protinus est etiam ad aliquid.

Quod non per se mobilis est anima.

x

Anima est id, per quod animal, animal est. Per quod enim differt id quod ipsi inest, animal à nõ animali, per hoc animal est: per animã aũt quę ipsi inest, differt animal à nõ animali. Per animã ergo animal, animal est. Per quod autem animal animal est, hoc

eius

eius forma est. Quicquid enim est per quod aliquid & dicitur, & est, hoc eius forma est. Nam & eorum quæ arte, & eorum quæ natura fiunt, per formã unumquodq; est id quod est. Itaq; & animal, per formã animal est. Est autem per animam animal, forma ergo anima. Atqui, quod alicuius forma est, materialis forma est. Anima autẽ alicuius forma est: animalis enim. Anima ergo, quæ est forma materialis, ut ipsa per se sit, fieri non potest. Quod enim eget materia, ad hoc ut eius sit aliquid quod sit, fieri non potest ut ab ea separatum ipsum per se sit. Anima autem materialis forma est. Fieri ergo non potest, ut anima unquam per se sit. Quod autem fieri non potest ut ipsum per se sit, fieri non potest, ut ipsum per se moueatur. Fieri autem non potest ut ipsa per se sit anima: fieri ergo non potest, ut ipsa per se moueatur. Quod autem per se non mouetur, fieri nõ potest ut sit per se mobile. Anima autẽ per se nõ mouetur. Non est ergo anima per se mobilis.

Cur id quod fit, ex priuatione mutatum, simul ex ipso contrario mutatur: siquidem non idem est priuatio & contrarium. XI

CVr id quod fit, ex priuatione mutatũ, simul etiam ex ipso cõtrario mutatur, si non

ſi non idem eſt priuatio & contrarium? Contrarium enim forma quędam eſt. Priuatio autem eſt eius abſentia, ad quod ſecūdum ſuam naturam ſuſcipiēdum ſubiectum aptum eſt. Nunquid huius cauſa eſt materia, quæ cum omnium quæ ſunt in generatione & corruptione materiarum ſit cōmunis, & ipſis ſubiecta, eſt omnia quidem potentia, quod in unumquodq; ipſorum mutari poſsit: propterea enim eſſe dicitur omnia potentia, quæ eorum quidem quæ ex ipſa fiunt, & in quæ mutatur, in ſua ratione & ſubſtantia nihil habet: ſed ratione eſt ab ijs omnibus ſeparabilis, ipſa quidem certè hypoſtaſi & exiſtentia ab eis ſeparari non poteſt, quod ipſorum ſemper aliquid actu habeat, & tum eo quod unà cum aliquo eorum eſt, & actu eſt & ſubſiſtit. Neq; enim ulla ex formis, quarum eſt materia ſuſceptrix, poteſt ſine materia ſubſiſtere: nec materia ſine forma: ſed ſunt à ſe inuicem inſeparabiles, quantum quidem ad ſubſiſtentiā. Cùm ergo ſemper ſit cum aliqua forma, ijs quarū eſt ſuſceptrix formis, in quibus non eſt, priuari dicitur: quòd cum facultatem habeat eius quæ eſt in ipſa, mutationis, ea non ſit in ipſis. Quare & quando in aliquid mutatur, ex propria illius, in quod mutatur, priuatione mutari dicitur: quòd per eam quæ eſt ad hoc facultatem, in hoc ipſi fiat mutatio. Erat enim

quæ

quæ est ad hoc facultas, per eius priuationẽ. Neq; si ipsa adesset, eo priuatum esset: nec, si nõ eam haberet, quæ est ad ipsum habitudinem. Eo ergo quod nõ per aliam, quam per quæ est in hac re, facultatem, ei fiat in hoc mutatio. ideo unumquodq; eorum quæ fiũt, ex propria priuatiõne dicitur fieri, per mutationem subiecti eius priuationis. Quare etiã per accidens, priuatio est uniuscuiusq; eorũ quæ fiunt, tanquam elementum & principium: quòd quæ in ipsum mutatur materia, & eius fit proprie elementum, propterea quòd in ipsa eius præexistat priuatio, eo ipso per hoc in ipsum mutetur. Propterea ex non calido fit calidum, non ex dulci: quòd illud, ex non calido, significet illud quod est in priuatione, calidum, & quod per hanc priuationem mutatur. Non enim per eam facultatem quæ est ad dulcedinem, fit in calidum mutatio, nec per eius mutationem. Et propterea quòd ex priuatione sic contrarijs materia informatur, & eorum fit alternis susceptrix, dicitur ex cõtrario fieri. Primorum ergo quæ fiant ex ipsa corporum duæ sunt formæ, quæ sunt primæ contrarietatum, caliditatis & frigiditatis, siccitatis & humiditatis: & ijs definiuntur simplicia corpora. Quoniam ergo est eorum susceptrix, & si est cum aliquo eorũ uel aliquibus, necesse est, ut quando ipsa horum aliquid nõ habeat,

habeat, sed sit in eorum priuatione, in contrarijs eorum generibus existens, ex necessitate, sit in eorũ priuatione. Quatenus enim est in contrario calidi, est in eius priuatione: & quã diu est in eo, manet etiã in priuatione. Eo ergo quòd contrarij præsentiæ contrarij priuatio cõiuncta sit, idq; necessariò, & rursus quãdo ex priuatione ipsius in habitum mutatur, per id quæ subiecto præsens causa erat ut esset, sit in eius priuatione.

Quod ex eo quod corpora in seipsa contrahantur, non ostenditur corpus per corpus procedere. XII

NOn enim quæ in seipsa contrahuntur, in se retro cedentia, contrahuntur corpore per corpus procedente. Id enim contrahitur, quod idem actu manẽs in sua substãtia, in minorem simul magnitudinẽ adducitur, uel ab aliquo, uel à seipso. Quæcunq; autem sic afficiuntur, ea alicuius excretione hoc faciunt. Vel enim spiritu separato, reliquũ corpus in eũ qui ab illo tunc occupabatur, locũ coit: uel eo disperso, quod erat in ipsis, humido. Materia aũt nulla omnino ratione cõtrahitur, quòd nec actu quidẽ subsistat. Quæ aũt ex ipsa corpora fiunt, in maiore quidẽ aliquãdo magnitudine fiunt, aliquando uerò in minore: quòd corporũ alia quidẽ sint dẽsiora & solidiora, alia uerò subtiliora & humidiora.

Quo-

Quorum quæ densiora quidem sunt,& solidiora,ad æqualem magnitudinem ampliore aggesto cumulo opus habent. Quæ autem sunt humidiora & subtiliora,minore. Quare aliquando quidem in eadem materia est corpus quod plus loci occupat: aliquando uerò minus,quod materia sit utriusq; corporis efficientium qualitatũ susceptrix. Si ergo in corporum per se inuicem processu fieret quædã corruptio,& in dẽsiora corpora mutatio: fortasse posset quem tunc occupat alterũ locum, eum postea occupare: quod fit ex utriusq; mixtione. Si autem eadem manet utrũq; (quod enim est in ipsis,suam naturam seruare uidetur) quomodo id quod est,adhuc posit fieri? Præterea nonnulla quæ miscentur, non solum nõ crassius,sed & subtilius ipsum, quàm prius erat,faciunt. Quare oporteret id quod in maiore magnitudine fieret, maiorem quoque locum occupare.

Aduersus Platonicos, qui ex triangulis figuras & formas corporum componi dicunt, non corpora. XIII

IN omni mutatione est subiectum de quo mutari prædicatur. Nam & in motu per locũ, qui latio appellatur, quod mouetur, subiectum est quod per illum mutatur. Et in auctione & diminutiõe, quod augetur & quod minui-

minuitur. Et in alteratione, quod alteratur. Sed & in ea quæ fit per generationem & corruptionem, mutatiõe, est ex aliquo subiecto mutatio. Non enim ex eo quod non est, generatio: & in id quod non est, corruptio. Et est in hac mutatione subiectum, quatenus subiectum. Itaq; & in simplicium corporum generatione & corruptione aliquod subiectũ esse oportet, & hoc esse ipsorum materiã. Ex quo enim prius existente aliqua fiunt, & in ultimum resoluuntur, hoc est illorum ipsorũ materia. Ex quo itaq; primo subiecto fiunt, & in ultimum dissoluũtur simplicia corpora, hoc est ipsorum materia. Atqui in simplicibus corporibus subiectum, triãguli. Ex his enim primum est illorum generatio, ut ipsi sentiũt: & in ea ultima resolutio. Triãguli ergo sunt simplicium corporũ materia. Forma autem est, certa qualitate & quantitate prædita eorum compositio. Quod si ita est, sunt corpora, & non formæ corporum: quæ fiunt ex triangulis, ut est eorum sentẽtia. Si enim ipsis esset alia quoq; subiecta materia, essent autem etiã trianguli, duas haberent materias, cum neutra in neutram ferri posset. Si autem dicãt materiam quoq; esse hoc modo, & fieri per hos triangulos, sic quidem figuratam, ignem: sic autem, aliquid aliud: cur nam fiet ipsis terra quoq; ad alia immutabilis, cum æque ac terræ

ſubiecta materia, poſsit etiam per ignis & per aliorum corporum formatores triangulos figurari? Neq; enim in ipſis triangulis erant ipſi, qui mutabantur, triãguli. Sed ſubiecta materia, ut exiſtimant, in ipſos uiciſsim figurabatur. Manente ergo ſubiecta materia, omnia ſimiliter in ſe inuicem mutantur. Non dicit autem ea ſimiliter in ſe inuicem mutari: & manifeſtum eſt, quod triangulis materiam ſupponit. Neq; enim ſimiliter componi & figurari, nec in ſeinuicem mutari poſſent, niſi aliquid à materia haberent, etiam ſi grauitatem à triãgulis habeãt. quod enim eſt ex ipſis pluribus compoſitum, grauius dici non poſſet, ſi ex illorum eſſet compoſitione mathematicũ corpus. Si autem non illud, naturale à triangulis eſſe in naturalibus corporibus oportuerit.

Si communia ſunt ea quæ ſunt intelligẽtiæ ſeu mentis conceptus: intelligentiæ autem non corpora: nec commune corpus fuerit, quod eſt communis corporis intelligentia, nec definitio eſt corporis definitio.

XIIII

SI uel quæ ſunt communia, non ſunt abſolutè intelligentiæ uel mentis conceptus, ſed ab aliquibus, & de aliquibus: ea aũt ſunt, quæ ſunt ſingularia: eſt autem in his quæ nõ

ſunt,

sunt,commune,ea mentis agitatione abstrahere.Ea autem quæ per se à se inuicem differunt,sunt singularia, quorum abstractorum reliqua est intelligentia:uel in omnibus commune est,quod non sic ut intelligitur subsistẽ di uidetur habere subsistẽtiam, dicitur, & est definitio eius quod est eiusmodi, & quod hoc modo intelligitur, & per intelligentiam quæ esse uidetur, non intelligentiæ, sed eius quod sic intelligitur. Est enim definitio, declaratoria eius,quæ ex re definita facta est, in telligẽtiæ.Rerũ enim sunt signa intelligẽtiæ. Rationes autem seu definitiones, earum quę sunt ex illis,intelligentiarum. Quare & corporis definitio fuerit declaratoria corporis, quod dicimus, ex corpore, per abstractionẽ eorum quæ sunt in singularibus corporibus. Quibus ablatis,id quod restat,commune est, & idem in omnibus corporibus. Quorũ autem corporis substantiæ & naturæ fuerit declaratoria,nõ erunt ea incorporea. Nec quia ea est incorporea,&,quæ est ex corpore, intelligentia: propterea absurdum quid dicitur. Definitio enim est ratio. Nõ est autem ratio, corpus. Et ita non est in omnibus eius quod intelligitur,significatum.Non ea etiam ratio ne quis esse uoluerit & albi rationem albam, & grauis grauem. Quod enim non est intelligentiæ definitio,patet.Hæc enim dicit,quod

triplicem habet dimensionem,id quod est cō trectabile. Non est autem talis intelligentia. Et etiam animal rationale mortale. Nihil est autē horum in intelligentia.

Quomodo dicimus eandem simul esse contrariorum facultatem. XV

QVando dicimus eandē esse contrariorum facultatē,non hoc dicimus,quod eadem facultate & ambulat quispiam & quiescit,& dicit & tacet. Non enim per quam facultatem quiescit,per eam etiā mouetur. Sic enim idem esset moueri, quod quiescere. Siquidem quorum facultas & potētia eadem, eorū actus quoq; idem est. Sed id quod dicitur,huic æquiualet: scilicet quod, quam habet potestatem id quod alicui contrariū est, hāc habet & id quod est illi contrariū. Quod enim ad alterum contrariorum habet aptitudinem,eam ad alterum quoq; habet ex necessitate. Alterius enim facultas,alterius quoque facultatem simul inducit. Eadē ergo, pro eo quod est æqualis. Eo enim quod alicuius facultatem habet, nondum aūt in illo quidem sit,in ipsum autem mutari possit. Quod autē in aliquid mutatur,ex eo quod est ipsi contrariū,mutatur. Nam & quod intercedit, semper est contrarium,quod in id quod est alicui contrarium,mutetur, in eius contrario futurum. Ex eo enim est mutatio. Quod itaq; est

in aliquo,& ipsum abijcit,ut contrarium suscipiat,habet utriusq; reuera facultatē, quod utrunq; eorum alternis continere & abijcere potest. Eo ergo quod alterius facultas, alterius quoq; facultatem inducit, eorum eadem facultas contrariorum dicitur. Ignis aūt non utiq; habet frigidi facultatē, cum sit calidus, quòd nec potestate inquā posit esse calidus cum sit ignis:sed est actu calidus.& generaliter uerum est,quòd cuius quis habet facultatem,habet ipsius quoq; oppositi facultatem. Vel enim ex necessitate in ipso erit, & potestatem non habebit. Vel si habere potest, hoc habere poterit:& quia ipsum non habet,potestatem habebit. Si autē nō habere, ei quod est habere,opponitur:quod habet alicuius facultatem,etiam eius quod est illi oppositum, facultatem habet. Non necesse est autem,contrario contrarias etiam facultates esse dicere. fieri enim non potest,ut contraria in eodem simul sint:sed contrariorum facultates in eodem simul sunt,quòd ea habere potest,quando & in neutro est ipsorum quodammodo actio. Nam & cera triangula esse potest: potest & esse rotunda. Antequam ergo in neutra sit harum figurarum, nihilo magis in alteram ipsarum mutari potest. Id quidem certè quod habet utrorumq; facultates, non hoc uel illo modo, non etiam utraq; potest simul

ſuſcipere. Nihil enim contraria ſimul ſuſcipere poteſt, licet ipſorum ſimul facultates habeat. Si enim non haberet materia ad contraria ſimul aptitudinem, ſed nunc hoc quidem illorum, nunc uerò illud poſſet ſuſcipere, nõ eſſet amplius, cuiuſmodi definitur, qualitatis expers: propter alicuius præſentiam & differentiam. ſed nunc hoc quidem cõtrariorum, nunc uerò illud poterit. Quare cõtrariorum facultates non ſunt dicendæ contrariæ, ſiquidem ipſæ ſimul inſunt. fieri aũt nõ poteſt ut contraria ſimul inſint. Quæ ſunt ad actũ progreſsiones, ipſas quoq; contrarias dicemus.

Quomodo non æquè ac coniecturales artes, aliæ quoq; artes finem habent, ut ſcilicet omnia ab illis fiant, quo, id quod eſt propoſitum, aſſequantur. XVI

SI coniecturalium artium finem quis eſſe dicat, ut omnia à ſe fiant ad hoc, ut id quod eſt propoſitum aſſequãtur: quomodo non eæ, ſimiliter ac illæ quę coniecturales nõ ſunt, proprium quoq; finem aſſequentur? Videntur autem coniecturales ſcientiæ in hoc maximè ab alijs differre, quòd finem non aſſequãtur: ſimiliter ac illæ, quatenus quidẽ eſt ipſis finis, ut id ꝙ eſt propoſitũ aſſequãtur, in eo nullũ inter eas diſcrimen fuerit: quatenus autẽ id quod eſt propoſitum quidẽ, eſt finis: quæ

quæ autem ad finẽ pertinent, nõ similiter habent: in eo fuerit inter eas differentia, quòd nõ inter se similem finem habeant. Illæ enim, in eo quod ijs quæ arte fiunt, sequatur id cuius gratia fiunt, & quod ab eo quod est propositum excidant, quoniam in ijs quæ fiunt, dum non ex arte fiunt, erratum sit, finem habent, ut id quod est propositum assequãtur. In illis enim æquiualet, omnia à se fieri, ad assequẽdum id quod est propositum, & ipsum assequi. Ea enim facientibus, ea perficiuntur quæ ab ipsis fiunt. In coniecturalibus autem eo quòd non omnino ijs quæ ex arte fiunt sequatur id cuius gratia, propterea quod ad illud assequendum opus sit multis quæ in sola arte non sunt: præterea autem & quòd ea ipsa quæ arte fiunt, non sunt definita, nec eorũdem efficientia, quòd non in omni ex parte similibus uersentur per omnia: & quòd in ipsis quædam aliter eueniant, quàm futurũ expectabatur: nõ id quod est propositũ, assequi finis est, sed omnia quæ sunt artis adimpleuisse. Vel eis quoq; finis est id assequi, cuius gratia omnia ab ipsis fiunt, quòd propter illud omnia fecerint. Earũ aũt opus proprium est in eo ipso, q; id quod est propositũ assequẽdi gratia, omnia faciũt: nẽpe quòd ad id q; est propositũ assequendũ, hoc non solũ sufficiat, sed alijs etiam opus sit, quæ in arte non sunt.

Quòd non, si eo qui est ut ignis fomes, qui etiam elementum dicitur, est calidior aliquis ignis, propter eam causam contrarij mixtione talis est. XVII

NOn quoniam eo qui est ut elemẽtum, igne, qui & fomes dicitur, est calidior ignis ustulatio, cuiusmodi est ignis qui est apud nos, in illo iam minus est calidi propter contrarij mixtionem. Certè flamma est ignito ferro minus calida, sed nõ propter mixtionẽ frigiditatis: sed in ferro est calor intensior, propter materiæ soliditatem & resistentiam. Eo enim quod resistit & non cedit, id quoque quod in se est calidum, præbet eiusmodi. Ac ut elementum quidem ignis, cum sit natura rarus & siccus, & materia sit impermixtus, quæ eiusmodi igni possit aliquid suggerere, calidus est: hunc uerò ignem ea tangunt & accendunt, quę quandam in se constipationem habent & densitatem, & eiusmodi igni nutrimentum præbent. Quare etiam magis ex ratione quispiam dixerit, eiusmodi ignem contrario esse mixtum. Is enim nutrimento opus habet, & seruatur quamdiu ipsum habuerit. Est autem nutrimentum contrario contrarium. Iam uerò & quoniam materia est talis ignis, eius quoque aliquid habuerit, quod est sibi contrariũ, quod suscipiens in seipsum mutat,

tat. Ille uerò ignis elementarius nõ nutritur, sed est sincerus & purus, contrario impermixtus, qui per se subsistit, ut aliorum quoq; elementorum unumquodq;.

De eo quòd natura est principium motus.

XVIII

QVòd natura quidem est principiũ motus, ex hoc manifestum est, quòd principio motus differant naturalia à non naturalibus corporibus: id autem quo à non naturalibus differẽtia naturalia, naturalia sunt, hoc natura fuerit. Quęcũq; ergo corpora sunt generabilia, cùm sint naturalia, ijs generatio fit in alienis locis. & est motus ipsis cooperans ad hoc, ut fiat in proprio loco: in quo cũ fuerint, & in loco quiescunt, & sunt, pro ut ea sunt, quæ generantur, in perfectione. Habent enim in se principium eius qui est ad hoc, motus. Iis autem quæ non generantur, & sua natura perfecta sunt corporibus, quæq; sunt in eo qui est eis secundum naturam loco, natura, hoc est, is qui in ipsis est principiũ motus, non ad hoc ut ab imperfectione ad perfectionem mutentur, cõfert: nec ad hoc, ut ad eum qui est ipsis secundum naturam locum ferantur. Sunt enim perfecta, & nunquam ab eo, qui est eis secũdum naturam, loco recedunt. Sed ut per eam quæ est per ipsum operatio-

nem,ei quod est omnium rerum optimũ assi milentur,æterno & continuo & æquali motu,id quod eius esse actu est, & immobilitatẽ & statum imitantia. Per id quidem quod mouentur, id quod eius esse actu est. Est enim quidã actus,motus. Oportebat enim ea quæ id quod simpliciter actu est imitantur, & nullam facultatis ac potentiæ penitus partem habent,per actum,qui est ipsis secundum naturam,hoc facere. Per hoc autem quod cõtinuè & ordinatè & similiter semper mouentur, æternam eius naturam imitantur. Neq; enim, si nõ moueretur,naturale esset corpus: quod cùm omnium corporum sit maximè principale,nec ut motum unquam stet,& non continuè moueatur, probabilem & rationi consentaneam causam habet. Neq; enim à loco, neq; ab eo quod est,moueri præter naturam: nec ab ea quæ est,propterea quod est mortale;imbecillitate. Quare,quæ continuè mouẽtur,secundum eam quę in se est naturam,per eam quę est in motu perennitatem & perseuerantiam, statum illius imitantur. Quòd autẽ non solum moueri, sed & continuo & æterno motu moueri, sit eis secundum naturam, ostendit, quòd ipsa figuram habeant orbiculatam. figurarum enim optima & perfectissima est corpori optimo secundum naturam. Eiusmodi autem figuræ præter naturam status

tus

tus est. Quare nec basim habet aliquam, per quam stare posſit.

Quòd ſi mundus eſt æternus, ipſi autem mũdo ſuum eſſe ordo eſt, in propria quoq; eius ſubſtantia hoc fuerit. XIX

SI mundus ſua eſt natura æternus: mũdo autem ſuum eſſe in hoc eſt, quòd in tali quodam ſit ordine: ordinem quoq; à ſua natura habuerit. Sed ſi ita eſt, nec ad hoc ut ſit, nec ad ordinem quẽ habet, ullo qui eius prouidentiam gerat, opus habet. Atqui qui alicu ius prouidentiam gerit, uel ut id ſit cui proui detur, uel ut bene ſit, prouidet. Ad quorũ neu trum, cùm mundus eo qui ſit prouiſurus, opus habeat, nec illius omnino ulla prouiden tia geſta fuerit: ſi quidem uniuerſus mundus nullo opus habet qui ei prouideat, nec ad hoc ut ſit, nec ad hoc ut bene ſit. Quæ autem ſit in mundo prouidentia, ſit aliqua quidem parte prouidente, aliqua uerò exiſtente cui prouidetur. Quæcunq; enim pars ipſius & à generatione & corruptione aliena eſt, & ſem per ſecundum ſuam naturam & animam ordinata, quęq; ſuo motu mouetur imitationis primi dei deſiderio, ea nullo quod ei ſit prouiſurum opus habet, cum & in eo quod eſt, et in eo quod bene eſt, perfectionẽ habeat. Quę cunq; autem pars ipſius & generationi & cor ruptio-

ruptioni est obnoxia, & quæ alterius auxilio indiget, ad hoc ut fit, & ad eam quæ per rectè ordinatam mutationem secundum speciem fit, æternitatem: hoc est, cuius prouidentia generitur, à diuinæ mundi partis ordinato motu, & quadã habitudine ab ipso gubernata. A qua, quantum ei quod est mortale contingere potest, ordinis particeps effecta, quem ab ea consequitur, cõseruat eam quæ est per speciem, incorruptilitatem.

Quomodo id quod mutatur in aliquid, per eam quam habet facultatem, seruat facultatẽ, etiam postquam mutatum fuerit in id in quod mutatum est. XX

QVomodo id quod in aliquid mutatur, quod facultatem habeat, antequã mutetur, eius in ipsum mutationis, mouetur & seruat facultatem, ut illud totum esse possit ex quo mutatum est, & fit illud iterum: ut dicit Aristoteles in mundo, si sit generabilis. Propterea enim dicit ipsum etiam corrũpendum. Nec enim sic se habere cernũtur ea quæ fiũt. Neq; enim scamnum quod ex tali ligno factum est, seruat adhuc facultatem ut tale lignum fiat. Neq; in idem mutatio & corruptio. Neq; qui ex aliquibus per mutationẽ factus homo est, in illa rursus corrumpitur, ex quibus est ipsi generatio. Menstruum autem hoc &

& hoc ſperma, uel quæ per artes fiunt, ad materias rurſus non reuertuntur: quod nec artis erat opus materia, ex qua faciebat opus: ſed nec erat operi quod fit oppoſita, in quod fit ipſi mutatio. Id autem quod ſubiectum habet naturale, & habet hanc formam ſuſcipiendi & non ſuſcipiendi facultatem, etiam ſi ſuſceperit, ſeruans facultatem, ut poſsit ſeparari à forma quam ſuſcepit, & ab ipſa ſeparatur, & corrumpitur, & fit ei corruptio. Sicut ergo generatio quæ ab externo aliquo, uel aliquo alio eiuſmodi, uel ut artificiale fit, ſi uel à natura, uel à ſubiecti corporis naturali corruptione corrumpatur, ſimul etiam artis opus corrumpetur. Sed in eorum quę natura fiunt generatione, quemadmodũ et id quod fit, ita & ſubiectum eſt natura. Et eſt primum quidẽ ſubiectum, materia, quæ nunquam actu per ſe eſt. Actu autem ſubiecta ſunt elemẽta, quæ cum iam ſint cum aliqua qualitate & contrarietate, in ſeinuicem mutantur pro contrarietatibus quas ad ſeinuicem habent, iis ipſis & ſubiecta exiſtente communi uniuerſa materia, & in forma mutante per eã qualitatis contrarietatem quæ plus habet uirium. Eo enim quòd hoc quidpiam factum ſit, habeat autẽ etiam facultatem ut ſit in contrario, ſeruans facultatem aliquando etiam ipſum mutatur. Quamobrem nullum ſimpliciũ, & quæ ſunt

gene-

generabilia, corporũ, est incorruptile. Ex his autem simplicibus corporibus, fiunt & composita, per mixtionem quandam & temperaturam, & facultatum cõmoderationem, per quam non in aliquod unum ex simplicibus corporibus fit mutatio, sed in aliquid intermedium, quod est omnium qualitatum & facultatum, quæ in simplicib. corporibus subiectæ sunt, particeps. Habentia autem facultatem, ut à se rursus inuicem separentur simplicia corpora, ex tali mixtione & resoluũtur & separantur: quare fieri non potest ut aliquid ex iis quæ ex ipsis sunt composita, sit incorruptile. Fit autem & animalium generatio per aliquorum corporum commoderationem, quæ iam & ipsa mixta sunt (non est enim simplex corpus quod manet) per quam commoderationem & animata fiunt, & unita, & aliquas facultates habentia. Qua dissoluta commoderatione, quod ea ex quibus fiunt, mutata, non seruant facultates, per quas commoderatio, resolutio, & dissolutio ipsorũ fit, nõ in ea quæ in ipsis non seruantur amplius, ut menstruum: hoc enim erat & ipsum compositum: quę compositio est post primam mixtionem & harmoniam eorum, ex quibus est animali compositio, corporum. Mutata autem ex quibus hæc constant, corpora (hæc autem erant seruata elementa) etiam à seinuicẽ soluuntur,

uuntur,aliqua in ipsis incommoderatione facta,ei in quo aliquid eorum redundat & exuperat. Neq; enim habent hãc facultatẽ,ut hãc in infinitum seruent commoderationẽ.Et est animalium & aliorum compositorum corporum corruptio, quæ in elementorum fit resolutionem. Ex quibus per cõmoderationem quandam elementorum ad seinuicem, generatio fit ipsorum & consistentia. Iam uero & mundus si per aliquorum corporũ actu existentium mutationem aliquam factus est: illa uidelicet corpora in ipso mutantur, per quorum generationem est ipsi mutatio: seruata autem, & illam habentia facultatem ut mutari posint ad hoc ut mundus sit, rursus mutari poterunt in ea quæ mutantur: & sic non amplius mundus fuerit. sicut uidemus simplicia, quæ in seinuicem mutãtur, prima corpora, eo quod sit eis subiecta materia, quę eorum quæ & primis & compositis corporibus formam tribuunt, sit susceptrix, quando uel per naturam, uel propter aliquam externam circunstantiam aliquod in ipsis potẽtius fuerit. Quod soluit ipsorum ad se inuicem commoderationem, per quam eis suum esse est in corpore composito.

Quod

Quod non est per accidens prouidentia, ex sententia Aristotelis XXI

CVm nuper apud amicos de prouidentia uerba facerem, & ostendere conarer, quód etiam ex sententia Aristotelis, Dijs est mortalium cura & prouidentia, etiam quę nam, & in quæ, & quomodo fiat, dicere paratus essem: dixit quispiã eorũ qui aderãt, esse primum operæprecium discere, quomodo respondere oporteat ijs qui interrogant, utrum sit dicendum, Deos rerum nostrarum antecedenter & principaliter curam ac prouidentiam gerere, an per accidens. Qui enim dicunt non esse ex Aristotelis sententia, prouidentiam, quæ fieri à nobis dicitur prouidentia, aiunt eam dici fieri per accidens. Si autem in omnibus in quibus additur illud, Per accidens, quód non in ijs sint propriè ea quæ dicuntur, signum est. Quod autem non est propriè, non est quodammodo: nec quæ per accidens dicitur prouidentia, fuerit prouidẽtia, quæ cum tali adiectione dicitur. Per accidens enim moueri dicuntur, quæ non per se et propriè mouentur. Et per accidens eæ causę sunt, quæ nihil principaliter conferunt ad eas quorum causæ esse dicuntur. Si itaq; prouidentiã cum hac fieri adiectione dicimus, fortasse ex ijs quæ ipsi de prouidentia dicimus, ipsam quoq;

quoq;,ne sit penitus, prouidentiam sustuleri mus. Quemadmodum enim reproba & adulterina drachma,esse drachma dici non potest,quòd id ei adiectum sit, quod eam omnino perimit: sic nec per accidens prouidentia, prouidentia dici potest: quoniam illud, per accidens, in omnibus ad id cui additur perimendum adijcitur. Et ego ei respondi: Quid autem,esse'ne tibi necessarium uidetur,alterutro horum modorũ adesse prouidentiam, & oportere eum qui illi qui sic interrogat, rẽspondet, uel principaliter per se fieri dicere, uel per accidens? Et ille: Quid enim aliud dicens quispiã, poterit uideri cõuenientẽ rationi responsionẽ afferre? Clarũ est, inquã ego, quòd si nihil appareat quod posit esse inter id quod est per se, & id quod est per accidens, necesse est eum qui rectè respondet ad interrogationem, in eorum alterutro prouidentiam ponere. Si autem est aliquid quod inter ea poni posset, manifestum quod qui hoc ostendit, simul etiam ostenderit non esse necessariam interrogationem: quia nõ omnes, qui dici possunt, prouidentiæ modos comprehẽdit. Et quid'nã, inquit, fuerit eiusmodi, quod quia prætermissum sit, interrogationis necessitatem dissoluit? Et ego: Existimo apertum hoc futurum, an ita se habeat an non, si nobis prius in mentem redegerimus, quid'nam eo

rum utrũq; significet: dico autem & id quod est per se, & id quod est per accidens. Cùm is autē rectè habere dixisset, conatus sum quid ab utroq; eorum in interrogatione positorũ significetur, exponere: dicens, eum quidē per se alicuius curam & prouidentiam dici gerere, qui cum scopum sibi proposuerit eius cui prouidet, utilitatem, eius gratia ea operatur & gerit, per quæ propositum scopum se assecuturum putat, suarum actionum finem sibi constituens, utilitatem eius cui prouidet. Per accidens autem aliquid alicuius dicitur gerere prouidentiam, quando eo qui sic prouidere dicitur, nihil pro eius utilitate cui prouidetur, agente, ex aliquibus quæ ab illo fiunt, iuuari contigerit, nec ab initio id quod euenit, illo cognoscēte qui hoc modo prouidet. Thesaurum enim per accidens inuenisse uidetur, qui primo alicuius rei gratia fodit, nec se inuēturum expectans. Et à fulmine aliquo perijt per accidens, quòd nec fulmen huius gratia deiectum sit, nec ut hoc fieret, cogitatione penitus uersauerit is, qui fulminis fuit effector seu opifex. Cognitio enim alicuius eorũ quæ ijs consequuntur, quæ fiunt alius rei gratia, dissoluit ne hoc ei fiat per accidens: quod per accidēs quidem id fit, quod præter rationem uideatur fieri. Prænotio autem eorum quæ ex ratione fiunt, signum esse uidetur. In his enim

enim & ijs quæ sic fiunt, non prędicamus per accidens. Et ille, nec in alijs quidem. Itaque et fortunã per accidens causam esse dicentes, ipsam propemodũ definimus, quod raro fiat, non quod non prȩuideri possit. Atqui, inquã ego, cùm sit eiusmodi quę & per se, & quę per accidens fit, prouidentia, non amplius existimo multis tibi uerbis opus fore, ut non existimes esse sufficientem interrogationem, quæ uult prouidentiam, & in eam quæ est per se, & in eam quæ est per accidens, solas diuidi. Rectè dicis, inquit. si quis enim cognoscit utilitatem quæ ad aliquem peruenit, ex ijs quæ à se alius rei gratia fiunt: ex ijs quæ prædicta sunt clarũ est, quod nec per se, nec per accidens, hic illius prouidentiam gerit, qui hoc modo ab aliquo eorum quæ à se fiunt, iuuatur. Quid autem, inquã ego, si prȩter id quod cognoscit eam quæ ad aliquem redit, utilitatem, id etiam eius uoluntate fiat, non adhuc longius abesse dices, talem prouidentiam ab ea quæ est per accidens? Quæ enim sic fit, ad eã propè accedit quæ per se fit: quæ illius gratia cui prouidet, omnia facit. Per accidens autem id quod alicuius alius rei gratia facit: nõ cognoscit autem eam, quę per illud ad ipsum redit, utilitatem, nec id uult. Quod aũt non huius gratia facit, cognoscit autem, & uult iuuari, id huius quidem curam & prouidẽtiam

gesserit, sed non per se, nec per accidens. Etsi iuuet quidem, ad seipsum autem utilitatē referat: nec hoc per se, nec per accidens prouidētiam gerit. Et si uniuersalium quidē aliquid per se, particularium autem per accidens, nec hoc simpliciter, nec per se, nec per accidēs singularium curam gerit. Non per se quidem, quod non eorum gratia: non per accidēs autem, quod non aliud uniuersale à particulari bus. In his enim omnibus, prouidentiam gerere differt ab eo, quod fit per se principaliter. Quid autem, inquam ego, de eo dixeris, qui aliquorum quidem curam & prouidentiam gerit, sed eorum quorum prouidētiam gerit, ad se utilitatem refert? Quomodo uidemus & upiliones ouium curam gerere. & bubulcos boum, & caprarios caprarum. Similiter & equorum pastores & subulcos, eorum qui à se pascuntur & aluntur. Sed ij quidem, inquit, & omnis quę fit hoc modo prouidentia, parum admodum differt ab ea quæ fit principaliter, & per se. Aliorum enim quæ similiter fiunt, solus scopus propositus talis prouidentiæ, ad eam quæ est per se, facit differētiam. Quid autem & si quis diceret, inquā, quod illorum quidem per se fieret prouidentia, horum uerò per accidens: uniuersalium quidem per se: eorū autem quæ sub eis sunt, per accidens: aliquem ne alium modum pro

uidētiæ diceret, quàm eos qui ab initio dicti sunt: Quomodo enim, inquit, non alium: siquidem quod commune, aliud quidem ab unoquoq; eorum quæ sub se sunt: sed in his quidē certè unum aliquod esse habet, & per hoc eis illa communicat, quæ per se fiūt principaliter. Et ego, illi: Ex ijs ergo quæ dicta & in confesso sunt, clarum est, quòd quocunq; dictorum modorum prouidētiam quispiam fieri dicat, is nec principaliter, nec per accidēs eam fieri dixerit. Manifestum itaq;, inquit. At qui si hoc sit manifestum, manifestum quoq; est quòd prima interrogatio, quā quosdam dicebas proponere, ne responsione quidē digna est: nec, qui per aliquem horum modorū dicit fieri prouidentiam, prouidentiam tollit: ut is uidetur facere, qui per accidēs eam fieri dicit. Eo enim prætermisso, ut alicui horū modorum ea quam dij rerum quæ in generatione mortalesq; sunt gerunt, cura & prouidentia, tribuatur, dicere deos propter mortalium salutem actus suos & operationes exercere, est à Deo penitus alienum. Perinde est enim, ac si quis dicat liberos & dominos esse seruorum gratia, & suas actiones pro illorū salute & ordine exercere: siquidem aliorum omnium domini Dei sunt. Si enim in omnibus, eo quod est alius rei gratia, præstantiùs est id cuius gratia aliquid est: siquidem præ-

ſtantior eſt finis iis quæ ſunt ante ipſum: erit ex ſententia eorũ qui ſic dicunt, ſeruus & miniſter præſtantior domino, diuinis autẽ mortalia. Atqui in ſeruis quidem & dominis dici poteſt, mutuam quandam inter ſe eſſe donationem, & ueluti permutationem per eas actiones, quæ ab ipſis exercentur. Dominorum enim actiones ſeruorũ ſalutis cauſa fieri: ſeruorum rurſus operationes ad dominorum ſalutem conferre. In ſeruorum enim operatione dominorum ſalutem ſitam eſſe: ut uterq; alterius quodammodo ſit finis. Sed Deorum ſalutem mortaliũ actione opus habere dicere, omnino abſurdum uideri poſsit. Quomodo enim non eſt ei conſimiliter abſurdum, finem Deorum, bonumq; eſſe dicere, in mortalium ordinatione & prouidẽtia? idq; cùm uideat multa eorum quæ ſunt in his quæ fiunt, illorum eſſe ordinatione indigna. Sed ſi Deus ſuas exercebit operationes, non ſua, ſed mortalium ſalutis gratia, uidebitur eſſe omnino mortalium gratia. Eius autem gratia faciet, ex ſententia eorum qui eius ſubſtantiam in gerenda prouidentia ſtatuunt. Quid eſt enim aliud Deus eius ſententia qui ſic ſcribit? Quid ex niue enim reliquum fuerit, ſi album & frigidum ſublatum ſit? Quid uerò, ex igne ſi calidum extinxeris, à melle autem dulce, & ab anima motum, & à Deo prouidentiam?

tiam? Si enim in gerenda prouidentia Deo ſuum eſſe exiſtat, ut uult is qui ſic ſcribit & dicit: quidquid autem prouidentiam gerit, alicui prouidet: & prouidere, eſt ſuas actiones exercere, eius cui prouidetur gratia: omnino neceſſe eſt, ut Dei, quatenus Dei, actio ſit eorum gratia quibus prouidetur. uel quomodo tibi uidetur? Et ille: Quid enim aliud dixerit, qui Deorum ſubſtantiã in gerenda prouidentia ponit, ſicut in calido ignis? Quid igitur, inquam, non ſunt in omnibus imperfectiora ea quæ ad finem conferunt, ipſo fine? Quomodo, inquit, aliter? Quid autem, nõ & quidquid proprias ſuas & ſecundum naturã actiones alterius gratia exercet, id illius eſſe gratia dicere neceſſe eſt? Et maximè, ſi in ipſius ſubſtantia id tale fuerit. Maximè. Atqui finis eſt propoſitus aliquid aliud, cuius gratia facit, quod facit. Et q, in propria habet ſubſtãtia ut ſit alterius gratia, id imperfectum eſſe neceſſe eſt, & honore ſecundum ab eo cuius eſt gratia. Ita eſt, inquit. Neceſſe eſt ergo, ijs qui talem eſſe dicunt prouidentiam, quã Dij mortalium gerunt, ut diuina immortalibus imperfectiora dicant, & ea illorum eſſe gratia. Quo quid magis impium, & à Deorum ſubſtantia & nobis anticipata notione magis alienum eſſe poſsit? Et ille: Vera quidem dicis, inquit. Et hæc ijs neceſſe eſt conſequi,

qui talem & sic fieri prouidentiam dicunt: & alia his similia. Multa enim protinus ab initio eorum quæ hic fiunt, esse uidebũtur, quæ cognitu digna non sunt, nec ut ab eorũ prouidentia fiant. Absurdum etiam ijs sequatur, qui omnia diuinæ prouidentiæ tribuant: dicunt autem etiam id solũ esse bonum, quod honestum, & id in nostra esse potestate statuunt, cùm ex eorum sententia nullum bonũ sit in potestate hominis, cum sit diuina prouidentia, in qua Deis dicunt suum esse consistere. Quare de ijs differere in id tempus differamus, quo plus nobis erit otij. Sed id agamus, quod à nobis prius instituta oratio postulare uidetur. Quo ergo modo dicere oportet fieri ex Aristotelis sententia prouidentiam, quando nec per se, nec per accidens eum dicimus ipsam fieri dicere? Sũt autem præter hos inuenti plures prouidentiæ modi, quorum quẽm nam esse Deorum proprium dicimus, rogauerit quispiam? Et ego illi: Nõne erat nobis propositum ostendere, factam interrogationẽ ab ijs qui Deos principaliter omnium curam gerere dicunt, quæ sunt in generatione & corruptione, nec protinus ab initio esse dignam, cui respondeatur: siquidem plures sunt modi per quos dici posit prouidentia fieri. In duobus autem solis, per neutrum eorum fieri posse ostensum est eam, quę à nobis quæri-

quæritur prouidētiam? Ita eſt, inquit: ſed quo niam quod propoſui, ſatis à te explicatū eſt, aduerſus illos quidem ſit abſoluta diſputatio. Noſtri autem gratia æquum eſt te ijs quæ oſtenſa ſunt, conſequentia adijcere. Si enim per eam quæ ab Ariſtotele dicitur, prouidentiam hæc refutata cernuntur, quæ prædictis eſſe opinionibus conſequentia oſtenſum eſt, hoc quoq; non paruum fuerit teſtimoniū ad opinionem, ut ueram, confirmandam. De ijs quidem, non eſt, inquam, facilis tractatio: & maximè, quoniā nemo eorum qui ante nos fuerūt, hoc opus unquam aggreſſus eſt. Nullus certè uidebitur, quod ego quidem ſciam, eorum qui non principaliter Deum rerū humanarum curam gerere Ariſtotelem ſentire dicunt, huius quæſtionis dubitationē ſic tractaſſe, ut quæ ab Ariſtotele dicta ſunt, oſtenderet ijs quæ à ſe dicūtur cōuenire. Sed quia & tu rogas, & ego rectè habere exiſtimo, ut nos de eo, quoad eius poterimus, tractemus, hanc diſputationem eouſq; differre ſatius exiſtimo, donec paulo maiorem aſſequamur facultatem eorum quæ dici poſſunt: & quod etiam timeam, ne quæſtioni poſſim finem imponere, & cogar paucis tātum expeditis deſiſtere. Eſt itaq; hac in re omnis excutiēda ſocordia. Simul etiam in hac quæ erit de ijs diſputatione, oſtendere conabor, eos etiam qui

Platonis quidem decreta profitentur, sibi autem ualde persuaserunt, nihil Aristotelem de diuina prouidentia dixisse, nihil nec scienter nec diligenter dicere.

Expositio contextus dictionis, ex secundo De generatione & corruptione Aristotelis, quæ aliter habet, quàm in eius in ipsum commẽtario.

Hic est autem contextus. XXII

„ Si itaq; procedit in infinitum ad id quod „ est inferius, non erit necesse hoc quod est „ posterius, factum esse absolutè, sed ex positio „ ne. Semper enim alterum prius ex necessitate „ erit. Quare illud factum esse necesse. Si in quibus quod posterius est, ex necessitate est, in illis solis uerum ostendatur: si primum ex necessitate, & id quoq;, quod est posterius: in generatione autem in infinitum, non est, quod est posterius, ex necessitate, quòd nec ipsum quidem fiat: nec ante id quod postremum, simpliciter quidquã ex necessitate fiet, quòd ea solummodo quę sunt inter postremum, id quod est necessarium simpliciter, à fine habeant. Itaq; nec hoc fuerit id, quod fit simpliciter ex necessitate. Si enim illud ex necessitate simpliciter: tunc etiã quæ ante ipsum sunt, ex necessitate erunt, unumquodq; scilicet eorum quæ intercedunt, inter id quod fit ad infinitum, ex positione habẽs id quod est ex necessi-

cessitate. Si enim idem erit, oportebit id q eft ante ipsum, similiter quoq; esse necessariũ. De inceps enim illud erit ex necessitate, si id q eft post hoc, & ita procedẽtibus. Nã quoniã nullũ est extremũ infiniti, q ex necessitate faciendum est simpliciter, ex necessitate facta sunt etiã ea quæ ante ipsum fuerũt. Quibus rursus dũ ex necessitate fiũt, consequẽs fuit & postremũ ex necessitate fieri, si prima necessitate facta sunt. Nõ itidẽ autem & in iis quæ fiũt, hãc licebit consequentiã accipere: Si primũ ex necessitate, etiã id quod est posterius. Illud aũt, Quare si non est principiũ infiniti, nec primũ «
erit: Quare necessariũ erit factum esse: æqui- «
ualet huic quod est, Quare si nõ est finis infiniti. Principiũ enim nũc finẽ appellauit, quoniã ab eo fit principiũ: ut etiã quę ante ipsum sunt, omnia debeãt ex necessitate fieri. Si autẽ nõ ita est, nec hæc cõsequẽtia in ipso uera est, quæ dicit, Si q primũ est, id etiã q est posterius: eo quód hęc cõsequẽtia uera fiat, in quib. est ultimũ q fit ex necessitate. quoniã ei q ex necessitate fit, hoc sequatur, ut & quę ante ipsum sint, ex necessitate fiãt: & uerũ fit in unoquoq; ipsorũ illud, si q primũ est, id etiã q est posterius. Necesse est enim, si uera futura est talis consequentia, esse aliquem finem in iis quæ accipiũtur. Quód aũt principiũ & finẽ dicit, per ea ostẽdit, quę postea sic dixit: Eorũ au-

tem

tem siquidē æterna futura est, nō fieri potest, ut in rectū, quoniā nequaquā sit principiū, neque infra, ut in ijs quæ futura sunt, accipimus, neq; supra in ijs quæ fiunt. Illud enim, neq; infrà in ijs, quæ futura sunt, principij, tanquam finis, est significatiuum. Eam ergo quæ est inferius, principium esse oportet, si necessarium absolutè habitura sunt quæ fiunt: quia si hoc fuerit simpliciter positum, ut hoc quoq; necessariò futurum sit, uerum factum est, si quod primum est necessitate, & iam id quoq; quod est posterius. Eam aūt quæ est superius, quod sic illud accipere poterimus, si quod primum est, etiam quod est posterius.

De Magnete lapide, cur trahit ferrum.

XXIII

Empedocles quidem ijs quę sunt ex utrisque fluxionibus, & lapidis & ferri meatibus ac poris iusta proportione inuicē commoderatis, ferrum ad lapidē ferri dicit. Quæ sunt enim ex magnete fluxiōes, aerem qui est in ferri meatibus illos obturantem expellūt, & dimouent. Eo autem separato, densam & aceruatim fluentem fluxionem ferrum sequi. Cùm aūt ferantur, quæ ex ipso existunt fluxiones, ad lapidis meatus, quia eis iusta proportione commoderati sint, & eis conueniāt, ferrum quoq; cum effluxionibus & sequi & ferri. Quæsiuerit aūt quispiā, etiāsi quod de

fluxio-

fluxionibus dicitur, concessum fuerit, cur nõ proprias fluxiones sequitur lapis, ad ferrum autem mouetur. Nihil enim magis ex ijs quę dicta sunt, lapis ad ferrum, quàm ferrum mo uebitur ad lapidem. Præterea cur non etiam sine lapide ferrum aliquãdo mouebitur, cùm ad aliquid aliud eius fluxiones densæ & cumulatæ ferantur? Cur enim solæ quæ fiũt ex lapide fluxiones, mouere possunt aerẽ ferri meatus obturantem, & fluxiones reprimentem? Præterea cur nihil aliud ad aliud quidpiam sic fertur? Atqui multa ab ipso dicuntur ad seinuicem fluxionibus poros habere com moderatos. Dicit itaq;, aquam in uini numero magis censeri: sed nõ uult in oleo. Sed neu trum eorum fertur ad alterum. Democritus autem et ipse fluxiones, fluxiones fieri ponit, & similia ferri ad similia: sed & ad id quod est commune, omnia ferri: hęc supponens, quod lapis & ferrum sit ex similibus atomis cõposi tum: esse autem subtiliorem magnetem, & ra riorem, & inaniorem, & eum propterea leuius & mobilius ad ferrũ ferri. Ad similia enim latio est: & in ferri meatus ingredientia, mouent, quæ in illo sunt, corpora, per ipsos propter tenuitatem subeuntia: quæ autem mota sunt, etiam extrà ferri effluentia, & ad magne tem applicari, tum propter similitudinẽ, tum quòd plura habeat inania. Quæ quidem se-

quens

quens ferrum, propter frequentem & cõglobatam excretionem & motũ, fertur etiam ipsum ad lapidem. Non itidem autẽ lapis quoque ad ferrum fertur: quia non habet ferrum tot inania, quot lapis. Sed magnetẽ quidem & ferrum esse ex similibus composita, admiserit quispiam. Quomodo autem si & in succino & palea, eandem quam illis causam esse dicit, & in multis alijs quæ à succino trahũtur, si omnia illa ex similibus sunt composita, nõ se etiam inuicem trahunt? Diogenes autem Apolloniates ait, omnia ductilia ex sua natura à se humorem emittere, & exterius attrahere: hæc quidem plus, illa uerò minus: plurimum autem emittere ferrum & æs. Cuius rei signum est, quod eorum aliquid exuratur, & cõsumatur in igne: & ea aceto & oleo uncta, rubiginem ac æruginem contrahant. Id autem eis accidere, quòd acetum ex ipsis humorem trahat. Ignem enim eum qui in ipso est, humorem exurere: acetum uerò unũquodq; subiens, attrahere: & eum qui in ipso est, humorem consumere. Ferro itaq; & trahente, et plus humoris emittente, magnetẽ, qui est fer ro & rarior, & magis terrestris, plus humidi ex propinquo aere attrahere, quàm emittere. Id itaq; quod est sibi cognatum & affine, in se recipere: quod autem non est, extrudere. Esse autem ei cognatum & affine ferrum, quod et
ab

ab eo trahat, & in se suscipiat. Et per eius tractionē, ferrū quoq; attrahi, propter attractionē eius, quod in ipso est, humidi, quę est frequens & ueluti coaceruata. Nō itidem & magnetē à ferro trahi, quod neq; ferrū sit tam rarū & spōgiosum, ut aceruatim effluentē ex ipso humiditatem suscipere queat. sed si ita est, cur solus magnes ferrū trahit, nullū aūt ex alijs id quod est sibi cognatū? sicut æs & plumbum. Emittunt enim & hęc humidū, & trahunt: & quædā ijs quoq; cognata sunt & affinia, sicut & ferro magnes. Deinde cur non alia magnes quoq; trahet ex solidis, quæ etiā plus humoris emittunt: quorū etiā est æs. Non enim quia manēt quæ trahūtur, propter cōmoderationē sequitur illud, ex quo fluit quod trahitur. Sed quia trahitur, est probabilius, quod quoniam in eo quod trahit, humor nō maneat, sed dimittatur, ea magis moueri. Est enim magis uerisimile, ex ijs id trahi quod trahitur, quoniam plenum non sit id quod trahit, quàm quoniam simile maneat id quod trahit. Similiter autem, ut summatim dicam, necessarium est, eum qui de hoc dicit, primùm quærere, quis sit tractionis modus. Aliqua enim ui trahunt, & tactu ea quæ mouentur, mouent. Non ita autem & magnes. Est enim immobilis, & nec ferrum tangens: & nec eum qui intercedit aerem, in aquam attrahens, ipsum

ipſum per ſe attrahit. Nam etiam quæ in ea ſu pernatant, & ſunt leuiora, eo quòd calido quod eſt in ipſis, unà attrahatur aer, trahit ſuccinum & cucurbitulas. Non ſic autem ille. In illis enim ignis motus & egrediens, attrahit, quod propè eſt, humidũ: & attingens, ut quod trahitur, id quoq; quod eſt ei continens unà trahit. Sed magnes ferrum tãtum. Si enim traheret eum qui intercedit aerẽ, ferrentur omnia quæ ſunt in aere ferro leuiora, ad magnetem, priuſquam ferrum. Videtur autem & matrix trahere, & uenę, & membra nutrimentum: magnes autem non ita trahit ferrum. Eorum enim quæcunq; trahunt, quod aer & humidum quod intercedit, primum attrahat, hoc faciunt per accidens. Trahere uidetur & ſol aquã. Mutata enim propter ſolis caliditatem, ſurſum fertur ad eum locum qui eſt ſecundum ipſius naturam, qui ſurſum eſt, ubi eſt & ſol. Non ſic lapis: non enim mutat ferrum. Trahit etiam nutrimentum animal: & quicquid eſt appetendum & deſiderabile, facit id quod eſt inter ipſum, & id quod appetit, ſibi ſimile. Non enim nutrimentum fit id quod intercedit, nec hoc trahitur: ſed id ꝙ intercedit, ab appetendo motum, tradit formã ei quod mouetur, ſicut fit & in uiſu. Sic & ferrum ad magnetem fertur, non ipſum ad ſe ui trahentẽ, ſed eius deſiderio, cuius ipſum quidem

dem opus habet: id autem habet magnes. uidetur enim magnes lapis esse, qui Græcè σιδηρίτης appellatur: sed humore quidem certè iam exhaustus & exinanitus, uel à tempore, uel ab aliqua alia causa. Nō solum enim quæ sunt sensu prædita & animata, id desiderant, quod est secundum suam naturam: sed multa etiam ex inanimatis sic habent.

Expositio eius quod in secūdo Aristotelis De anima, statim post principium dicitur.

XXIIII

Dicimus unū aliquod esse genus eorum « quæ sunt, substantiā. Eius aliud quidē « est ut materia, quod per se non est hoc quid- « piam: aliud autem forma & figura, per quam « dicitur hoc quidpiam. Et tertium, quod ex ijs « constat. Hoc quidpiam in ijs quæ formam & « figuram ostenderint, & habuerint, dicitur. V- « nicuiq; autem materialium ex forma esse est. In simplicibus itaq; & primis corporibus, nō est omnino per se materia hoc quippiā, quòd prima, & quę est propriè materia, ijs proximè subiecta & substrata sit. In compositis autem corporibus, non est utiq; propinquius subiectum, quæ prima est & propriè materia, sed subiecta corpora sunt eis materia: siquidem quæ uocantur elemēta, sunt eis materia. Quare erit eorū quidem materia hoc quippiam.

Non tamen, quod ex ipsis factum est, ut id sit quod factũ est, habet ex materia, & eo quod est ex ijs quæ sunt illius: sed à forma quę facta est in certa qualitate prædicta compositione, & mixtione subiectorum & substratorum ei corporũ. Nõ enim quia ignis, & aer, & aqua, & terra sunt carni materia, ab ijs caro et appellatur, & est: sed ab ea, quæ facta est in ipsis, forma, quatenus esse est carni, quæ ex ipsis facta est. neq; enim illa ab initio in carne adhuc seruantur: sed quemadmodum in simplicium corporũ generatione, materia, quæ ipsis subiecta est, ea autẽ erat prima, non erat ipsa per se hoc quippiam: sed ipsa tamẽ subsistebat, in aliqua alia forma existens, & per eã existens hoc quippiam. Id enim quod fit ignis, fit per mutationem materiæ, quæ eam quæ prius in ipsa erat, formã amittit, in ignem autem mutatur: & non quia ex aere facta est ipsi mutatio, ignis habet propterea suũ esse per aerem. Sicut ergo nec materiæ in ignem mutatio, sic nec cõposita corpora, quibus quæ est proxima materia, est hoc quippiã, à subiectorũ sibi corporũ forma suũ esse habent, sed ab ea quæ ex illis, & ab illis fit. In omni itaq; re uerũ est, quòd quæcunq; ex utroq; simul substãtia cõstituta est, à forma habet id esse quod est. Cũ hoc itaq; habeat, uerum est quod in ex utroq; simul constitutis substantijs, id quod unaquęque

que earum & est & dicitur, hoc earũ esse formam. Quare quoniam animal est ex utroq; simul cõstituta substãtia: ut sit aũt animal & dicatur, hoc & ab anima habet, & per animã: anima fuerit animaliũ forma. Ita autẽ & aliorum quæ sunt prȩter animalia, animatorum. Quod autẽ forma est anima, ostendit hac uia usus. In substantia alia quidem est materia, alia uero forma: alia uero quæ ex utroq; simul constat. Et, quæ ex utroq; simul cõstat, ex materia & forma habet, ut sit hoc aliquid. Nõ autem à materia, sed à forma, quæ in ipsa est, accipit, ut sint naturalia corpora substantiæ: operantur enim, & hoc est euidens. Et quia cõposita est substantia, cum naturale corpus distinxisset, quod uitam habeat, corpus esse naturale id accepit, quod uitam habet, substantiam scilicet compositam: non quod non etiã naturale corpus sit per se substãtia, & ex utroque cõposita: sed quia iam apertũ est, quæ nã sit ipsa, & ex quibus composita: ex corpore enim naturali & uita, quæ est anima. Cum autem accepisset id, quod uitam habet, corpus, esse ex utroq; constitutam substantiam, materia & forma: & ostendisset, quod anima nec subiectum nec corpus est in animali: ostẽdit, quod quȩ per formã substantia est, anima est. Vel enim ut forma, uel ut materia, in ipso sit, oportet.

Alius loci ex secundo Aristotelis De anima, expositio. XXV

» NOn enim talis corporis, quod quid est
» esse, & ratio, anima, sed naturalis,
» quod habet principium motus, & status in se ipso. Sed si tale est id quod est naturale, quomodo cœleste corpus adhuc naturale fuerit, quod non habet status principium in seipso? nũquid status principium quodammodo in se habet, siquidem per partes quidem mouetur: totum autem stat ut totum? In eodem enim semper est. Vel non dixit de omni naturali corpore, sed de eo in quo est anima. Vel illud: Quod habet principium motus & status in seipso, nõ dicit de naturali corpore, sed de eo quod habet animam. In ijs enim animę est principium, motus, & status.

Alius ex eodem locus. XXVI

SEmen autem & fructus, quod est potentia tale corpus. Per hoc maximè ostendi potest, animam non esse in subiecto. Si enim instrumentarium corpus, in quo est anima, ab anima habet ut sit instrumentarium: & neque antequam habeat animã, erat instrumẽtarium: nec postquam recesserit est instrumẽtarium, non fuerit in ipso ut in subiecto. Atqui non est in aliquo alio corpore, quàm in hoc.

hoc. Semen enim est animatũ potentia, quòd possit fieri tale corpus, cuius est anima perfectio, & cui id esse est quod habet ab anima.

Alius ex eodem locus. XXVII

Dicimus ergo, considerationis accepto " principio, distinctum esse animatum " ab inanimato, per id quod est uiuere: hoc est, " per id quod uitam habeat corpus. Per id qui " dem quod accepit corpus habens animam, eam, quæ ex utroq; simul constat, substantiã: omnem autem quę constat ex utroq; substantiam, esse ex materia & forma: per hoc ostendit corpus non esse in subiecto, sed ipsum esse subiectum. Et postquam animę tradidit definitionem, esse primum perficientem actum corporis naturalis instrumentarij: perinde ac nõdum satis ostensum esset, animam esse formam: quòd in prædicta definitione nõdum causa satis appareret, propter quã forma est, & perficiens actus talis corporis: rursus superius resumens, hoc ipsum conatur ostendere. Et primùm quidem exponit facultates animę. Et cùm earum quidem alias ostẽdisset esse primas, & ab alijs separabiles: illas uerò secundas, & in eis esse quendam ordinẽ ostendisset, & quòd uiuere quidem animatis est à nutriente anima: animalibus autem, ut sint animalia, à sentiente: & in sensib. quoq; osten

diffet effe quendam ordinem: & hos quidem effe primos, & qui ab alijs non feparantur: illos uerò fecundos, & ab ijs qui funt ante ipfum, infeparabiles: quæfiuiffet autem etiam, utrum uniufcuiufq; facultatis animæ animã dicere oportet, an partem animę: & fi pars, utrum eft ratione tantum feparabilis, an & loco: & plurimas eius oftẽdiffet facultates, quæ folum ratione feparantur. De intelligẽtia autẽ aliquã dubitationẽ dixiffet, & per fpeciẽ effe dixiffet animatorum differentias: & eorũ quidem alia omnes habere facultates, alia uerò aliquas, alia uerò unam folam: poftea oftẽdit, quomodo forma animæ, & perficiens actus, quòd fcilicet cũ ea corporis fit aliquid, & fubiecto fit fimilis, ab eo quoq; feparari nõ pofsit. Demonftratio autem eft huiufmodi. Accepit in omnibus quæ dicuntur effe, ut talia fint, qualia funt, primò & fecundò: & quatenus quidem primò dicuntur, effe illorum formam: quatenus autem fecũdò, fubiectum effe & materiam, quæ illam formam cõtinet. Et cum hoc inductione confirmaffet, affumpfit, quod etiam uiuere animalia dicũtur, per id quod primam habet animam. Quod cùm ita habeat, oftenfum eft animam effe corporis formam, quod eam habet: corpus autem, materiam.

Quod materia non est genus. XXVIII

Ommunia generi & materiæ hęc sunt, quòd & pluriũ sint cõmunia: & quòd prima sunt natura eorum quæ sub se sunt, & per quæ sunt communia: & quòd formæ alicuius ac speciei ad ipsa, appositione, differentias accipiant. Sicut enim cum sit communis materia, formæ quæ in ipsa fiunt, per eã quæ est inter se inuicem, differentiam, differentias faciunt, et id quod est ex utrisq; compositum: Sic & cùm sit genus commune, formæ seu species ac differentiæ, ipsi cõiunctæ, per eam quę est in ipsis differentiam, faciunt eam quæ est in generibus differentiam. Quæ enim eadem sunt, alia fiunt, eorum quæ differunt, appositione. Nunquid autem ipsorum fuerit inter se inuicem differentia, quod nõ similiter se habeat id quod est commune, ad formas seu species, quarum est commune? Materia enim est communis, ut ijs subiectum, quorum est commune. Formis enim subiecta ac substrata est. Genus autem est commune, ut quod de ijs prædicetur, quorum est commune. In subiecta enim materia formæ fiunt, ut in ære figuræ. Non sic autem formæ seu species in genere. Genera autem de ijs quorum sunt genera, prædicantur. Ac materia quidem & tota simul accepta communis est, quod omnes

in se habeat formas materiales: & unaquęque eius pars per se communis, per omnium sit alternis cōtrariorum susceptrix. Genus autem est ipsum quidem commune formarum, seu specierum. Quod autem ipsius est in singulis, id commune nō est. Neque enim fieri potest, ut quod in Socrate animal est, in aliquo sit alio. Et materia quidem res est, & substernitur ac subijcitur, unicuique sigillatim conferens, ad hoc ut sit. Genus autem, si ut genus accipiatur, non est res aliqua quæ substernitur ac subijcitur, sed nomen solum, & quod non in hypostasi ac subsistentia aliqua, sed in mentis agitatione, ut sit id quod commune est, habet. Iam & materia quidem est etiam numero incorruptilis. Genus autem habet per speciem ut sit incorruptile, & per perpetuam & non deficientem eorum quę fiunt succeßionem. Quod est autem ipsius in singulis, est incorruptile. Ad hæc materia quidem quæ est utriusque simul iunctæ substantiæ pars, in eius quod ex utroque cōstat, corruptione, separatur & seruatur. Genus autem est etiam in simplicibus. Talia sunt enim formarum & accidentium genera. Non enim compositum, nec ex utroque compositum, ut ex forma & subiecto, nec ex qualitate, nec quantitate, nec ex aliquo eorum generum quæ sunt præter substantiā. In ea autem quæ ex utroque simul

ſimul conſtat,& eſt materialis ſubſtantia,con poſitum quidē eſt id quod genus eſt,& quod commune,ut in ipſa compoſitum.Sicut enim ſingularia ſunt in animali compoſita:ſic & ipſorum formæ ſeu ſpecies, ac genera. Animal enim formam aliquam ſignificat cum materia:ſed non eſt altera pars eius,quod ex utro que cōſtat,ut materia.Sed hoc ipſum,eſſe animal,eſt eſſe ex utriſq; cōpoſitum. Quare nec ſimiliter ac materia ſeparari poterit. Cùm enim aliquid ſpeciei in ſui ratione ac definitione habeat,in corruptione totius, quæ fit per ſpeciei corruptionem,ipſum quoq; per corruptilis communionem corrumpitur. Quare quod in Socrate eſt animal, cùm ſit pars quodāmodo generis,corrupto Socrate, nō remanet.Itidē etſi omnia quæ ſunt in ſingulis,animalia corrupta fuerint,tollitur etiā quod eſt ut genus,animal,cū materiæ nihil huiuſmodi uſuueniat. Sed nec formæ ſeu ſpecies ſunt ſimiliter in materia & in genere. In materia enim fit omnis forma, cū ſit ſine forma ex ſui ratiōe ac definitiōe. In genere aūt, quæ prius fuit ſpecies,& quę eſt cōmunior,in omnibus quoq; quæ ſunt ſub genere,formis comprehenditur. Quare nec omnis forma utiq; ſit in genere,quòd pars ipſius quæ præuenit, generis compleat naturam. Differentiæ autē quæ id quod eſt commune ſpeciei diuidunt, ſunt

eæ quæ generi coniunguntur. Quare genus
est ab ijs quidem inseparabile, quorum est ge
nus: & unà cum ipsis corrumpitur, & non est
formarum, sed partis formarum suscipiens: et
non est earum suscipiens ut subiectũ, sed mẽ-
tis agitatione sumptum, & ab ijs separatum,
cum quibus ipsi suum esse est, cùm materia sit
prima omnis materialis corporis. Quæ enim
quodammodo non erat per propriam ratio-
nẽ, suscepta forma aliqua, quę prius erat prin
cipium, fit hoc quippiam, & quod ex utroq;
constat. Genus autem ab his materialibus &
singularibus esse assumens, per separationem
eorum quæ differentiam ipsius ostendũt, &
faciunt. Ac materia quidẽ omnibus quæ sunt
in generatione & corruptiõe, causa est ut sint
& subsistant. Genera autem ijs quæ per mate
riam esse & substantiam habent, accedunt: ha
bentia ea quę sunt eius, quod ipsa componit,
per aliorum, quæ ipsi simul insunt, se-
paratione, per intelli-
gentiam.

Ale-

ALEXANDRI APHRODI-SEI NATVRALIVM difficilium quæſtionum, & earundem ſolutionum, Liber Tertius.

Quid eſt reminiſcentia. 1

REminiſcentia eſt inuentio per inquiſitionem uiſi, quod aliquãdo fuit in corpore, in quo eſt anima ſentiens.

Expoſitio eius, quod dicit Ariſtoteles in ſecundo De anima, contemplans enim fit id quod habet ſcientiam, quod non eſt alterari. In ipſum enim eſt incrementum, & in actum perficientem. II

CVm in ſecũdo libro De anima dixerit Ariſtoteles de ſecũda facultate quæ eſt ex habitu, quam ſecundam facultatem appellauit (prima enim erat facultas, quæ ad recipiẽdum eſt habitum, aptitudo) cum ergo de ea ſic dixerit: Contemplans enim fit id quod "
habet ſcientiam, quod non eſt alterari. In ip- "
ſum enim eſt incrementum, & in actnm perfi "
cientem: uel aliud genus alterationis. Quare "
nõ aliter illic dixerit quiſpiã, id q; ſapit & pro "
uidet, quãdo ſapit & prouidet, alterari, quàm "
nec domus ędificatorẽ, quãdo domũ ędificat. "
Quod itaq; ex eo q; eſt potẽtia ad actum perfi "
cientẽ in intelligendo & prouidẽdo deducit, "
non

non doctrinæ nomen, sed aliam habeat cognominationem oportet. Hæc ergò cum dixerit, in illius expositione in uniuersum quæsitum est, an in actum mutatio, motus est. Si enim non est alteratio, multo magis non fuerit ullus ex aliis motibus. Quod enim ab intelligente habitu ad intelligendum & operandum mutatur, mutatio non fuerit: siquidem alteratio est, per affectionem mutatio. Ea autem non est per affectionem mutatio, siquidem in idipsum est incrementum: & ea quæ fit ab habitu operatio, est habitus conseruatrix, & eius perfectio: siquidem unicuiq; finis est id cuius est gratia. omnis autem habitus fit sui actus & suæ operationis gratia. Si autē non per alterationem, qui sic agit, mouetur, multo magis nec per locum, nec per auctionem corpus mouet. Corporum enim sunt tales motus. Etenim quæ per artes fiunt, habituum actiones, per motū quidem fiūt, & corporali ministerio indigent: sed quatenus ipsæ sunt habituum perfectiones, motus non fuerint. Nunquid ergo melius est ipsas esse aliquas generationes dicere, siquidem ad earum, quarum sunt, substantiarū perfectionē cōferunt? In unoquoq; enim eorum quæ per generationē habent quod sint, ad perfectionem processus, est pars ipsius generationis. Quodammodo ergo generationis artis pars

est,quæ ab habitu in actum per aliquorũ motũ fit mutatio. fit enim per motus, omnis generatio. Sed si hoc in artibus dicendum est, nunquid hoc quoq; dicere oportet, in iis quę sunt etiam ipsæ quædam operationes per cõtemplatiuas scientias? Est enim multo magis in iis rationi consentaneum, non esse motum aliquem. Sed si hæc quoq; oportet generationes dicere: omnis autem generatio fit per motum: per quædam quæ mouentur, fiet talis generatio. Oportet autem primũ sciri, ad cuius perfectionem talis actus conferat. Nónne quæ secundum artes quidem fiunt, ad artium, & eorum qui artes habent, perfectionem, quatenus sunt artifices? In intelligentia autem & uirtutibus, & contemplatiuis habitibus, ad hominis perfectionem contulerit, quę est horum habituum operatio: siquidem hi habitus sunt hominis perfectiones, quatenus est homo. Propriè enim homo est, qui hos habet habitus, & per eos operatur, per quos habet ut maximè & propriè fit homo. Doctrinæ autem sunt motus & alterationes horum habituũ effectrices. Ea uerò per quæ fit hominis perfectio, earum quoq; quę ab ipsis fiunt, operationum causæ sunt: siquidem quicquid habet habitũ, statim per ipsum operatur, nisi quid impediat. Eorum autem quæ impediũt, sublatio, etiã cum aliquo motu fit.

Expo-

Expositio eius loci, in secũdo De anima, in quo de sensu loquitur: est autem hic, His autem defi nitis, dicamus communiter de omni sensu.

111

POstquam dixit de nutriente animæ facultate, ad dicendum de sensu transit. Et primum quidem in uniuersum & communiter de sensu dicit. Postea autem progressus, seorsum de unoquoq; dicet. Primũ ergo sumit, sensum in eo fieri, quod aliquid moueatur & patiatur. Per motum enim aliquẽ & affectionem fieri uidetur. Cùm autem sumpsisset, sensum per alterationem & affectionem fieri: & affectionis, & eius quod est pati & affici, meminit, quod alijs quidem uideatur simile à simili pati, alijs uerò contrariũ à contrario. Huius autem meminit, quod ad tradẽdum quid est sensus, utile est statutum esse à quo patiũtur ea, quæ patiuntur. Antequã autem de eo apertè & explanatè traderet, cũ primũ dubitasset, cur sensus, quæ sunt in sensorijs, sensilia nõ apprehendat, sed ea sola quæ foris sunt: & soluisset, quod id quod est potẽtia, sensus est: sensus enim ad sensile refertur: sensile autem est, quod ab ipso est separatũ: nihil enim à seipso patitur. per affectionẽ autẽ seu passionẽ fit sensus. quandiu ergo nõ adest sensus, sensus est potẽtia. Sũpsisset autẽ, sentire dici duo

bus

bus modis, actu & potentia: sumpsit & hunc quidem esse sensum actu, illum uerò potentia: similiter & sensile. Cum sumpsisset autem etiam per affectionẽ, sensum, qui est potẽtia, fieri sensum actu: dicit deinceps de eo quod patitur, à quo patiatur, quod paulo antè mouit. Et cũ sumpsisset, quòd quidquid patitur, ab eo patitur quod est mouens, & actu est id ꝙ illud quod ab eo patitur, esse potest: ex eo ostẽdit, quòd fieri quidẽ potest ut simile patiatur à simili: fieri etiã potest, ut à dissimili. Patitur enim dissimile. Passum aũt fit simile. Hoc aũt ei rursus utile est ad hoc, quòd sensus qui est potẽtia, si per affectionẽ fit, patiẽs quidem agẽti fit dissimilis, ꝙ est id ꝙ est sensile: passũ aũt & factũ, esse ipsi similẽ. Quibus deinceps subiũxit, sensum hũc esse quidẽ potẽtia, illum uerò actu. Eius aũt quod est potentia, & eius quod est actu, facit diuisionẽ: uolens per hoc ostẽdere, quod nõ propriè sensus pati dicitur. moueri. Non enim cuiuslibet facultatis in actũ progressus, fit per affectionẽ & motũ. Duobus enim modis id ꝙ est potẽtia sciẽs, similiter & quiduis aliud, dicitur. Nam & ꝙ natura aptũ est ut potẽtiã suscipiat, est potẽtia sciens: sed etiã ꝙ iam habet, & sciẽtiã suscepit, nõ aũt per eã operatur, est potẽtia sciẽs: & per hoc ꝙ nõ eodẽ modo dicatur, ostẽdit. Postquã autẽ dixisset, ꝙ & is quoq; qui habet iam scientiã,

non autem operatur, ipse etiam utiq; potentia sciens dicatur: adiecit, quod qui nec contẽplatur, nec agit, is est, qui propriè sciens dicitur potentia. In quibus eorum dicens differẽtiã, qui dicantur potentia scire, ostendit quòd eorum quidem qui dicuntur scire potẽtia, primus qui eo quod natura aptus sit dicitur, nõ aliter in hoc ut actu fiat, mutatur, quàm per hoc ut patiatur & alteretur. Per disciplinam autẽ & doctrinam iam habens, non amplius per affectionem & alterationem ad operandum mutatur. Cùm autem ostendisset, quòd non cuiuslibet quod est potentia, in actum sit mutatio per affectionem & alterationem: deinceps & eius quod est alterari, & eius quod est pati, diuisionem fecit. & sumpsit aliã quidem esse quæ fit à contrario, corruptionem, & discessionem ab eo in quo erat: sicut patiuntur omnia, quæ in contraria mutãtur: aliud uerò quod patitur, esse dixit, non quod corrumpatur, sed quod seruetur, & incrementum suscipiat, quatenus id habet ab eo quod est actu, & simile. Quæ enim per habitum & per eiusmodi facultatem est operatio, cum sit habitus perfectio, non fit per mutationem in contrarium, sed per eam quæ est eiusdem, ab otio & cessatione ad operationem. Id enim quod habet scientiam, fit per eam operans, quod est in ipsum & simile incrementum. Simili-

militer & cùm dixisset, quòd potentia se habet ad actum, quomodo & qualis facultas. & ad qualem actum, ostendit adijciens: Cõtemplans enim fit quod habet scientiam, quę mutatio non est alteratio: siquidem alteratio, ex alio in aliud, & ex contrario est mutatio. Hoc uerò ex eo quod sic habet potẽtia, in actum. In ipsum enim, hoc est id quod habet, & quatenus habet, fit incrementum: uel si hęc etiam alteratio dicenda est, fuerit aliud genus, & alia quædam natura alterationis. Præterea autem quod pati ei quod est alterari, ut æquiualens acceperit, ostendit dicens, quod non est alterari. Ei enim fuerit æquiualens, quod est non pati. Quod postquam ostendit, adiecit non esse dicendum, eum qui prouidet & intelligit, alterari. Si autem nõ alterari, nec moueri. Si autem non alteratio, clarum est quod nec per locum, nec per quantitatem est mutatio. Talis est & eius quod potentia sentit, ad id quod est actu sentire, auctio & mutatio. Quare sensus est communius alteratio. Cùm hæc aũt dixisset, postea persequitur, quę nam ex eo quod est potentia, ad id quod actu est mutatio, est alteratio, & quæ non. Quæ enim fit ex habitu in actum, quæ sic fit ut qui habeat, intelligat, & prouideat, quia non fit per doctrinam, non est alteratio, nec motus, sed aliquod aliud mutatiõis genus: sub genera-

tione enim fuerit eiusmodi mutatio: siquidẽ illud perfici, & ad id quod fit incrementum, est quodammodo ex materiali potẽtia in habitum mutatio. Quæ autem fit per doctrinã aliquam & disciplinam, uel nec ipsam per affectionem fieri dicendum est, siquidem & ipsa in actum euadat, eo quòd habitum & perfectionem habeat ex materiali potentia: Generatio enim quodãmodo est eiusmodi mutatio. Vel si etiam talem mutationẽ dicat qui spiã, quòd formæ fit naturalis susceptio, duo sunt dicendi alterationis modi, & ea quæ fit ad habitus, & ea quæ natura fit, idq; quod est secũdum naturam. Eorum autem ea quę potest, id quod potest, melior pars est: ea inquã quæ fit secundum naturam ipsorum, quàm quæ à melioribus habitibus fit, in priuatiuas affectiones. Hæc autẽ cum dixisset & definijsset, transijt ad sensum, & ostendit quæ nã est prima potentia, & quomodo, & à quo in habitum mutatur talis facultas: quomodo autẽ & à quo secunda mutatur in actum. & dicit, eam quidem quæ ex materiali potentia fit in eam quæ est per habitum, à generante fieri, uidelicet animal. Quod enim generatur, non dum habet sentientem habitum, sed est eius qui esse potest habitus capax. Generatũ autẽ utiq; habet sentientẽ habitũ, sicut & id quod suscepit scientiam. Cùm aũt ostendisset, quomodo

modo utrunq; eorũ quę sunt potẽtia, in sensu est, adiecit quòd etiã per actũ sentire similiter dicitur, ac intelligere & contẽplari. In hoc enim solũ differũt, sentiẽs & intelligens operatio. Foris enim, & non in eo q sentit, est id q ab ipso auditur & uidetur. Similiter autẽ & in alijs. Vniuscuiusq; aũt causam reddidit, quòd sensus quidẽ singularia apprehẽdat. Fieri aũt nõ potest ut sint in eo q sentit, sed propriã habẽt subsistẽtiã. Scientia aũt & intelligẽtia uniuersalia contẽplantur, quæ in uniuersum propriam nõ habent subsistentiã, sed in ipsa sunt cogitatione quodammodo: eo quodãmodo adiecto, quod subsistẽtia quidem his quoq;, & causa ut sint, est in singularibus. Vt autem cõmunia suũ esse habent in eo quod est intelligere, & est ut eorũ quæ sunt cõmunia, ipsorum esse in intelligẽtia intelligente: quare & mẽte quidẽ agitare & cogitatione uersare, est in nostra potestate: in nostra autẽ potestate non est intelligere. Ad id enim quod est præsens, & præsentis est sensus. Sensilium autem præsentia non est in nostra potestate, ut ea habeamus, quando uolumus. Vt autẽ se habent sensus, sic & artes, quæ sunt circa sensilia. Neque enim in illorum qui illa habent, est potestate, ut quando uelint operentur, quod eis ea adesse oporteat, circa quæ operentur. De sensilium autem & intelligibilium differentia,

rentia,plura dicere differens,nunc dicit, mente quidem agitare,& cogitatione uersare,esse in nostra potestate,sentire autem non esse: & ijs quæ dicta sunt & ostensa,sensui adaptaris, communem sensus rationem tradidit. Ostendit enim primùm quod dupliciter dicitur, id quòd est potentia. aliter enim dicitur puer dux exercitus esse posse, aliter uerò qui est perfectus. neq; enim similis puer est ei,qui habitũ quidem habet, sed nondum operatur: prout est secundum significatum eius, quod est potentia,potentia sentire, & sensum dici potentia. De quibus facultatibus & potentijs cum dixisset, quòd quoniam non est nomen sortita earum differentia,ratione autem aperta euasit,eo quod est pati & alterari, utẽdum est ut proprijs nominib. mutationis eius quę fit ex eo sensu qui est potentia,ad eum qui est actus,quoniam alia ipsorum propria nomina non habemus,uenit ad sensus tradendam rationem: & dixit id quod est potentia sentiens,esse quale id quod actu est. Actu autem sensus est id,quod à sensili quidem patitur,ut quod nondum sit ei simile: passum autem assimilatur,& est quale illud. Passum autem dixit, tanquam æquiualens ei quod est alteratum. Tradita autem hac definitione, non tanquam sit sentire propriè,sed propter propriorum nominum inopiam: ostensum est enim,

quòd

quòd non est eius quod sic est potentia, in actum mutatio, nec affectio, nec alteratio, nec motus: ad dicendum de unoquoq; sensu seorsum transijt. Eorum autem quæ dicta sunt, capita primùm sumpsit: quod sensus est in eo quod est, moueri & pati. Deinde quæsiuit, Quomodo est pati, si potest etiam aliquid pati à simili. In quibus cùm dubitasset, cur non est ipsorum quoq; sensoriorum sensus, cùm sint sensilia, ad solutionem dubitationis sumpsit, quòd sensus sit potentia, & propterea ei ad actum opus esse præsentibus sensilibus, quæ possint agere. Propter quæ sumpsit, duplicem esse sensum: hunc quidem potentia, illum uerò actu. Post quę dicendum esse dixit, quoniam nondum definitũ est quid differat moueri & pati, ab eo quod est agere, quod in patiendo & agendo mouetur. nam & motus quidam actus esse dicitur. Propter quæ sumpsit, quòd quæcunq; patiuntur, etiam mouentur ab actiuo, quòd actu est id, quod potest id fieri, quod patitur. Quare patiens quidem est adhuc dissimile: nã quidquid patitur, dissimile est: passum autem simile. Quia autẽ sensui erat potentia & actus, duplex quoq; esse ostendit id quod est potentia: & quod nõ omnino ei quod est potentia, & id quod actu est, fit mutatio per alterationem, & ob ea diuisionẽ fecit eius quod est alterari. Hoc enim

ſignificatur per id quod eſt pati. Aliud enim pati fit per corruptionem, quæ fit à contrario. Aliud uerò pati, dicitur conſeruatum, & ad ſuam perfectionem incrementum ſuſcipiens ab eo, quod eſt eius ſimile. Operatio enim quæ ab habitu procedit, eſt ſimilis quodammodo habitui ex quo fit. Quare ſic pati non alteratio fuerit: & propterea oſtendit, quod etiam ſi potentia ſenſus eſt, mutatio in actum non eſt eadem cum ea quæ fit per alterationem. ſed nec ſic patitur quod ſentit, ut patiuntur quæ corrumpuntur: ſed ut quod in ſeipſo augetur, & ſuam perfectionem ſuſcipit. Et hæc poſtquam definiịt, & communibus eſſe nominibus utendum dixit in definitione ſenſus, eius definitionem tradidit: & dixit potentia ſenſum eſſe, ſentiens eſſe tale, quale eſt actu ſenſile: patiens autem ab ipſo, & per aliud. Non prius autem dixit de ſenſu per actum, quàm quomodo oporteat audire id quod eſt pati & alterari, in ea quæ fit ab eo qui eſt per potentiam, ſenſu, in eum qui eſt actu, antè dixerit. Tradita autem ſenſus definitio eſt: ſenſus quidem potentia eſt, eſſe ſentiens potentia tale, quale ſenſile iam eſt. Actu autem ſenſus eſt id, quod patiens quidem ab ipſo, nondum eſt ſimile, paſſum autem eſt ſimile.

Quo-

Quomodo non accessus solis & recessus generationis & corruptionis similiter causa est. Alius enim rei generatio, est alius corruptio. IIII

SI propius quidem accedente sole, est generatio, longius autem recedente, corruptio: alius autē rei generatio, est alterius corruptio: & alterius corruptio, est alterius generatio: quomodo nō simul & generationis & corruptionis causa est, & accedēs, & recedēs: siquidem oportet & quę fiūt, ex alterius corruptiōe fieri: & quæ corrūpuntur, in alterius generationem mutari. Sic autem nulla fuerit differentia inter accessum & recessum, si eorū quæ fiunt, alia quidem sunt antecedētia, alia uerò secunda, & ijs quæ fiunt antecedenter, contraria. Antecedentium quidem fuerit propriè generatio, quæ fit antecedente unicuiq; sole. Corruptio autem antecedentium, quæ etiam propriè corruptio: generatio autem eorum quæ sunt ijs opposita, cùm non sit propriè generatio, longius recedente. Si autem secundum naturam sint generationes, fuerint etiam corruptiones, nulla ex causis resistente, nec reluctante. In eiusmodi autem inæqualitatibus fuerint aliquādo etiā uice uersa. Dicitur enim generatio & corruptio propriè in ijs, quæ antecedenter fiunt. Ea autem

sunt quæ meliora sunt, ex ijs quę per contrapositionem ex seinuicem fiunt. Nam eorum sunt generationes & corruptiones, quæ per annum solis ambitum fiant: accedente quidem, ea ad quæ accedit, apertè gignuntur: recedente autem, corrumpuntur & moriūtur.

Quòd simpliciter ex necessitate fieri, & non ex positione, est in ijs quæ circulo semper fiunt. V

SImpliciter aliqua ex necessitate fieri, in libro secundo De generatione & corruptione docuit Aristoteles, in ijs solis uerum esse quæ circulo fiunt, & sequuntur ambitū cœlestium corporum. Nam quoniam quod est ex necessitate, semper est: quod enim est ex necessitate, id quod est æternum significat: ea quoqꝫ ex necessitate facta fuerint, quæ necessitate & semper fiunt. Si autem fiunt, quæ rursus & rursus fiunt: ea autem sunt, quæ rursus in orbem redeunt: ea itaqꝫ sunt illa, quę ex necessitate fiunt. Quòd enim nihil eorum quæ in recta fiunt (ea autem sunt quæ non rursus ac rursus fiunt:) quòd inquam, nihil eorum quæ sic fiunt, ex necessitate fiat, sic ostendit. Eorū quæ in recta fiunt, uel in infinitū fit aliquid, ut ei semper fiat aliqua accessio, ipsum autem nūquam fieri cesset, perfectum: uel sic fit in infinitum, ut aliud ex alio fiat, & nunquam

quam ſiſtat: uel finem cepit, & deſinit aliquãdo fieri. Sed nec in ijs quæ in infinitum fiunt, (de ijs dico, quæ in recta fiunt) fieri poteſt ut fiat ex neceſsitate ſimpliciter, nec in ijs quæ habent finem; eo quod id, quod ex neceſsitate fit, ſic fit, uel propterea, quòd id quod fit de hinc æternum maneat, uel eo quod ſemper fiat. Nihil autem eorum quæ fiunt, nec eorum quæ facta ſunt, æternùm manere poteſt: nec fit in infinitum. Nam & omnis finita eſt generatio: & poſtquam fuerit corruptum, quod factum eſt, non poteſt iterum reuerti, & rurſus fieri. Si enim horum aliquid eſſet, quod ex neceſsitate fieret, in ijs hoc quoq; uerum eſſet, ſi eſt prius: & id etiam quod eſt poſterius. Nunc autem non ſic habet. Per ſpeciem enim ea æterna manent. Species autem non fit. Id autem quod quærebatur, erat de ijs quæ generantur & fiunt. Nunc autem nõ ſic habet. Si autem etiam homines ſemper fiunt, & nunquam fieri intermittunt, ſed eorum in orbem fit generatio, quatenus ſunt homines, ne ſic quidem ex neceſsitate fiant. Nam, quatenus hic quidem Plato, ille uerò Socrates, eorũ generatio in infinitum in recta eſt, cum alius alias fiat, & nunquam idem. Quare nec in ijs conſequentia uera eſt, ſi, quod poſterius eſt, ex neceſsitate eſt, & id quoq; quod primũ eſt. Quòd autem nec ſi ſit in infinitũ in recta gene-

neratio, fieri poteſt ut aliquid ex neceſsitate fiat, oſtendit per hoc quod in iis quæ ex neceſsitate fiunt, uera ſit conſequentia, non ſolũ hæc, ſi, quod eſt poſterius, id etiam quod primum eſt: ea enim etiam in contingentib. quę fiunt, uera eſt: ſed etiam in quibus poſteriorũ aliquid ſit ex neceſsitate ſimpliciter, in iis hoc quoq; uerum eſt, ſi id quod primum eſt, & id etiam quod eſt poſterius. Quorum enim id quod eſt poſterius, eſt ex neceſsitate: eſt autẽ uerum in omnibus quæ fiunt, ſi quod poſterius eſt, & quod primũ eſt, neceſſe eſt fieri: neceſſariũ eſt, in quib. quod poſterius eſt, ex neceſsitate ſit, in iis etiam id quod primũ eſt ex neceſsitate fieri. In eo autem quod fit in infinitum, nihil eſt poſterius, in quo uerum erit id quod ex neceſsitate fit, ſimpliciter futurũ. Quibus aũt quod poſterius eſt, nõ eſt ex neceſsitate ſimpliciter: in iis nec id quod eſt ante id quod eſt poſterius, ex neceſsitate futurũ eſſe ſimpliciter dici poteſt. Neceſſariũ enim iis quæ ſunt ante id ꝙ eſt poſterius, ex neceſsitate ſit, quãdo illud ex neceſsitate fuerit. Si autẽ in iis quæ ſic fiũt, nihil eſt poſterius: nec eorũ quæ prima fiũt, aliquid in iis ex neceſsitate fient. Sed erit in ipſis uerũ, quod ex poſitione eſt neceſſariũ, ſi id ꝙ poſterius eſt, eſt ex neceſſitate: & ipſius etiã primũ. Dubitauerit autẽ quiſpiã, ſi in iis quę circulo fiũt, & reuertũtur,

hæc cõſequentia uera eſt, ſi id quod primum eſt, etiã id quod eſt poſterius: an in ijs quę definitè fiũt, in ijs quæ circulo mouẽtur, uera eſt eiuſmodi cõſequẽtia. ſi enim ſolſtitiũ hyemale, etiã æquinoctiũ: & ſi æquinoctiũ, ſolſtitiũ quoq; æſtiuũ: & ſi ſolſtitiũ æſtiuum, æquinoctiũ: & ſi æquinoctiũ, ſolſtitiũ quoq; hyemale. Sed & ſi eſt hyẽs, eſt uer: & ſi uer, æſtas: & ſi æſtas, autũnus: & ſi autũnus, hyẽs: Rurſus: Et ſi in ijs quę prima dicta ſunt, ordo pręfinitus, & ſtans, et nec tardius accedẽs, nec pręueniẽs: quia eorũ ſubſtantię & ordinis ſola cauſa eſt, primorũ corporũ motus, nullo ad ipſam alio conferẽte. Quare & in ijs tẽpus definiẽtes, dicere poſſumus, quòd ex neceſsitate erũt æſtates, & autũni & hyemes. Sed hæc nõ ſic præfinitũ tẽpus ſimiliter habẽt, licet circulo fiãt, & ipſa quoq; æternorũ motũ ſequantur: quod, ut ea fiant, materia quoq; cooperatur, quæ à motu illorũ patitur: quę quoniã nõ in omnibus ſimiliter ſequitur, cõueniẽter affectiõib. motus illorũ & circuitus, id non ſimiliter ſingulis pręfinitũ eſt. Incertum aũt & indetermĩnatũ adhuc magis eſt in ijs quæ egẽt pluribus ipſis cooperãtib. ad hoc ut ſint, quorũ eſt etiã animaliũ generatio. Quare in ijs generaliter uerũ eſt, quòd unũquodq; ipſorũ eſt ęternum per ſpeciẽ. Huius enim cauſa eſt cœleſtium circuitus. Eius aũt quę in ſingulis fit, generatio-

nis, in quibus plurimum poteſt proximè efficientium cauſa, in iis non uerum eſt, ſi primũ ex neceſsitate, etiam id quod eſt poſterius: uerum eſt autem, quod ſi poſterius ex neceſsitate, etiam id quod eſt ante ipſum.

Expoſitio loci ex 3. Ariſtotelis De anima, per quem oſtendit non eſſe plures quam quinq; ſenſus. VI

» SI enim cuiuſcunq; rei eſt ſenſus tactus,
» & iam nunc ſenſum habemus, (omnes
» enim eius quod eſt tractabile, quatenus tra-
» ctabile, affectiones ſunt nobis tactu ſenſiles)
» neceſſe eſt ſi aliquis ſenſus deficit, etiam no-
» bis aliquod deeſſe ſenſorium: & quæcunque
» ipſi tangẽtes ſentimus, ſunt tactu à nobis ſen
» ſilia, quem habemus: quæcunq; autem per ea
» quæ intercedunt, & non ipſa, ſimplicibus: di-
» co autem ut aere & aqua, uſq; ad eum locum:
» quare, ſi nullum eſt aliud corpus, & affectio,
» nullius eorum quæ hîc ſunt corporum, nul-
» lus defuerit ſenſus. Videtur mihi eius quod dicitur ſenſus, ad eorum quæ tractantur proprias propoſitiones cõferens, talis eſſe: Quorum habemus ſenſoria, eorum etiam omniũ ſenſum habemus. Si aliquorum ſenſum non habemus, ea, quoniam ipſorum nõ habemus ſenſoria, non ſentimus. Dixit autem illud, Eorum omnium per hoc, ſi enim cuiuſcunq; rei

eſt

eſt ſenſus tactus, & nunc ſenſum habemus: omnes enim eius quod eſt tractabile, quatenus tractabile, affectiones ſunt nobis tactu ſenſiles. Cùm itaq; in tactu dixiſſet, omiſit, in aliĳs etiã ſenſoriĳs & ſenſibus id adiĳcere. Quibus omnibus aſſumptis, fit hoc uniuerſale: ſi quorum habemus ſenſoria, eorum etiam omnium ſenſum habemus: & illud, ſi aliquorum ſenſum non habemus, ea, quòd non habeamus ipſorum ſenſoria, nõ ſentimus. Per idem rurſus dixit: Neceſſe eſt ſi aliquis ſenſus deficit, nobis etiam aliquod ſenſorium deficere. Quod quidem connexum potentia adſumit oppoſitum ſubiecti conſequentis, quod eſt, Atqui nullum nobis ſenſorium deficit. Quo oſtenſo, ſequitur, nec aliquem nobis ſenſum deficere. Potentia autem dixi, quia non aper tè hoc adſumit. Sed cum ſumpſiſſet, quę'nam habemus ſenſoria, & oſtẽdiſſet quòd nõ plura his ſenſoria habere poſſumus, oſtendit nullum nobis deeſſe ſenſorium. Per hæc autem ſumit quóſnam ſenſus habeamus. Et quæcunque ipſi tangentes ſentimus, ſunt tactu à nobis ſenſilia, quem habemus: quæcunq; autem per ea quæ intercedunt, & non ipſa tangẽtes, ſimplicibus, dico autem ut aere & aqua. Per hæc enim nos tactus ſenſorium habere ſumpſit: & præterea, quòd quæ ſentimus per aliquid quod intercedit ſimplicibus corpori-

bus,

bus,eorũ sensus fit ex ijs, ex quib. sensoria habemus,ex aere & aqua. Quib. cũ sit cõsequẽs ostẽdere,quòd simpliciũ corporũ ex his duobus solis sensoria esse posśint: ex igne autẽ & aqua sensoriũ esse nõ posśit: hoc enim ostẽso, ostẽsum etiã est, nullũ nobis deesse sensoriũ. illud uerò quidẽ posterius ostẽdit. Primũ aũt arripit tria esse sensoria, tactũ, & ea quæ sunt ex simplicib. corporibus, id quod est ex aqua, & id quod est ex aere. Sũt aũt plures sensiliũ species: siquidẽ alia quidẽ sunt aspectabilia, alia uerò audibilia, alia odorabilia, alia gustabilia, alia tractabilia. Quod aũt nec in eodem sunt numero sensoria cũ sensibilib. per hoc osten-
» dit. sic autẽ habet: Quare si per unũ quidẽ plu-
» ra sensilia, quę sunt à seinuicẽ genere diuersa,
» necesse est eũ qui habet eiusmodi sensorium,
» esse ambob. sentientẽ. Per hoc enim sumi potest, quòd si sint duo quædã, quę inter se genere inuicẽ differẽtia, sint per unũ aliquod sensoriũ sensilia, id quod habet unũ hoc sensorium, utraq; sensilia, quæ sunt genere differẽtia, sentit. Non enim quia duo sunt genere differentia sensilia, & quę sunt audibilia, & quæ odorabilia, oportet ipsorum quoq; instrumenta, per quæ sunt sensilia, esse differentia. Per aerẽ enim fit utriusq; apprehensio. Quare qui hoc habet, utraq; per hoc apprehenderit. Rursus autem si plura sunt sensoria, per quæ posśit

unum

unum apprehendi,ut uidentur habere odorabilia: eorum enim uidetur & per aquam & per aerem sensus fieri: per aquam enim aquatilia,per aerem uero respirantia,odorem apprehendere uidentur: quoniam omnia ex ijs alterum solum horum habentia sensoriũ, ipsa sentiēt: non enim opus est ut utraq; habeat id quod est odorem sensurum. Hæc cum sum psisset,& per hęc probasset,quod necesse est esse quinq; sensoria,quia tot sunt sensilium per genus differentiæ: ostendit deinceps,fieri nõ posse ut sit sensoriũ ex aliquo alio ex simplicibus corporibus,quàm ex aqua & aere. Quorũ pupillã quidẽ, qua aspectabilia sentimus, ex aqua habemus,auditum aũt ex aere. odoratum aũt nos quidẽ,& pedestria, ex aere : aquatilia uero ex aqua. Fieri aũt non potest,ut ex igne sit sensoriũ, ut ostẽdit in lib. De sensu & sensilib. nec ex terra sola. Si aũt ita est,fieri nõ potest ut sit aliquod aliud sensoriũ,pręter hęc quę habẽt perfecta animalia. Nullũ ergo deest sensoriũ ijs, quæ quinq; sensus habent: quare nec sensus. Nullum enim simplex corpus,præter quatuor,affectioni obnoxiũ esse potest, ut ex eo aliquod posśit esse sensoriũ. Oportet enim sensoriũ nõnihil affici,et pati à sensili. Quare illud esse oportet ex corpore,quod pati posśit,et affici. Quintũ aũt corpus ostẽsũ est ab omni esse affectiõe & pasśione alienũ.

Alius loci ex tertio De anima expositio, per quem quærit, quomodo fit nobis sentientibus, consensus. VII

QVia sentimus nos uidere & audire, necesse est uel uisu sentire, uel alio. Quęrit ergo, quomodo fit nobis consensus, quando aliqua sentimus, & quo. Nos autem ipsa sentire sentimus. Cuilibet enim sentienti, ad eius quod sentit apprehensionem, quidam fiet etiam consensus quòd sentit. Vtrum ergo hic consensus, fit nobis per eundem sensum, per quem fit etiam nobis sensilis apprehẽsio, ut & nos uisu ea quæ uidentur, uideamus, & nos ipsos uidere sentiamus: an uisu quidem aspectabilia sentimus: aliquo autẽ alio quàm uisu, nos uidere sentiamus. Et quod non per alium quidem, per hoc ostendit, quòd eiusdẽ sensilis sint plures futuri sensus. Si enim erit aliquis alius, quo nos uidere sentimus, & nõ is uisus quo uidemus, is qui id quod est uidere sentit, simul etiam colores sentit. Qui enim operationem quæ circa sensilia fit, sentientes senserint, ea quoq; circa quæ est in uidendo operatio, senserint: ea autem sunt colores. Nihil enim est aliud uidere, quàm uisu circa aspectabilia agere ac operari. Quare si uidẽdi quidem sensus, est sensus eius quæ circa aspectabilia fit, operationis, à uisorio sensu: fieri non

potest, ut eam quæ circa hæc quæpiã fit, operationem sentiamus, nisi ea etiam sentiamus, circa quæ fit operatio. Sed si ita est, erunt sensilium plures sensus: ijq́ qui ipsa antecedenter ac principaliter sentiunt: & ij qui sensuum actiones, quæ circa sensilia fiunt, sentiunt. Est autem hoc absurdũ, propria unicuiq; sensui sensilia esse pluribus sensibus sensilia dicere. Præterea si sit alius quidem sensus qui sentit, alius autem per quem nos ipsos sentire sentimus, in infinitũ procedet. Videndi enim sensus rursus erit nobis alius consensus, per aliquẽ alium sensum. Et ille rursus consentiens, facit consensum aliquem alium sentientẽ habitum: idq́ in infinitum. Hoc autem restat absurdissimum, ut nos per eũdem & sensilia sentiamus, & nostram quæ fit circa sensilia actionem. Sed si est uisoriæ facultatis actus & operatio, uidere: uisus & colores apprehendet, et ipsum uidere. Sed si id cuius est uisus sentiẽs, esse coloratum necesse est: & uidere quoq;, si est aspectabile, coloratum est. Primam dubitationem soluens, hoc quidem primum usus est, quòd uisus sit non solum colorum, uel coloratorum sentiens, sed etiam ipsorum priuationis. Ostensum est enim, omnem sensum, eãdem quoq; sensilium priuationem sentire. Visu itaq; & lucẽ & tenebras sentimus. Secundum sumpsit, quòd uidere est etiam quodam

modo coloratum: siquidem fit uidere, cùm sensilis formam suscepit sensorium sine materia ipsi subiecta. Cuius signum adiecit, quòd cùm sæpe recesserint ea quæ uidentur, adhuc in sensibus remaneant quidam ipsorum sensus & imaginationes. Hæc cum dixisset, ad eorum de quibus dubitatur solutionem, ijs deinceps usus est, & quod fit, & quomodo fit, ostendit. Dicit sensilis operationem & sensus unam esse, cum tantũ ratione differant: quòd qui per operationem quidẽ est sensus, in hoc subsistat, quòd sensilis formam sine materia suscipiat: quod est autem per operationẽ sensile, quòd eius habeatur forma sine materia. Si enim motus, qui fit ab eo quod mouet, est in eo quod mouetur: & affectio quæ fit ab eo quod agit, in eo quod afficitur & patitur: necesse est, eum quoq; qui fit à sensili, motũ, & eam quæ fit ab ipso, affectionem, cum sit in eo sensu qui est per potentiam, facere sensum qui est per actum. Quemadmodum enim actio & passio est in patiente, sed non in agente: esset enim agens patiens, & idem agere & pati, ut in Naturali auscultatione ostendit: sic & sensilis, & eius quod est maximè sentiens. Cùm hæc autem sic habeant, & sensus qui exit in actum, fiat rerum sensilium absq; materia, formarũ apprehensione, meritò unà cum sensilium sensũ fiet ut per consensum eo sen-

su

ſu ſentiamus. Eo enim quòd à ſenſilibus, quę ſunt foris, formam capiat, illorum eſt apprehenſio: eo autem quòd in ſeipſo ſenſus ſenſilium formas habeat, eum quoque propterea quodammodo ſentit conſenſus. Si enim uidere, fit per eius quod eſt ſenſile, formæ aſſumptionem: porrò autem & in alijs ſenſibus eadem eſt ratio: accepta forma uidet, & ſimul uidentem fit uidens ſentiendi conſenſus qui in eo fit, quod ſenſus ſimul & quod eſt ſenſile, & propriam in ſenſile operationem ſentiat. Quare ex neceſsitate, cuicunqꝫ ſentienti ſequitur, ut & ſeipſum ſentire ſentiat: quoniã unicuiqꝫ ſenſui aliquod externum ſenſile, ſentiẽti ſequitur, ut ſimul etiam ſeipſum ſentiat.

An eſt ſenſile, quod eſt omnibus ſenſibus per accidens ſenſile.

I . VIII

SI uni ſenſui per accidens eſt ſenſile, quod habet aliquid propriorum alicui ſenſui ſenſilium ſibiipſi accidens, (per ſenſilis enim apprehenſionem, fit & eius quod eſt per accidens, apprehẽſio. Sic enim uiſus dulce, quòd ei qꝫ eſt flauum accidit, ut ſit & dulce & mel) ſi quis dicat eſſe omnibus ſenſibus ſenſile per accidens, ſic dixerit id quod omnibus eſt ſenſibus ſenſile per accidens, habere aliqua eiuſmodi accidẽtia, quorũ aliud quidẽ eſt tactui

per se sensile, aliud gustui, aliud odoratui, aliud auditui, aliud uisui. Quare omnibus esse per accidens sensile fuerit, quod est in omnibus per se aliquod sensile, quod unicuiq; eorum est sensile per accidens, cum unusquisq; ipsorum id per accidens sentiat. Neque enim quod est omnibus sensile, est omnino insensile, ut uideri posit cuipiam simpliciter audienti. Quod enim nulli est sensui sensile, est insensile. Non est autem idem, esse omnibus insensile, quod esse per accidens sensile. Est enim hoc subiectum omnium sensuum sensilibus, quod eorum accidentia sint omnibus sensilia: idipsum autē non sit omnibus sensile per accidens.

Expositio loci ex tertio De anima, per quē ostēdit Aristoteles, esse aliquid, quo omnia simul sentimus. I X

» Nunquid ergo simul quidem & numero est indiuisibile & inseparabile, quo iu» dicat: in eo autē quod est, est separatū. Est au» tem quodammodo, ut diuisibile, quæ sunt di» uisa, sentiat: est uerò ut & indiuisibile. In eo » enim quod est, est diuisibile: loco aūt & numero, » indiuisibile. An fieri non potest. Potentia e» nim idē diuisibile, & indiuisibile, & cōtrà: sed » nō in eo quod est, uerū in eo quod operetur, est diui» sibile. Et fieri non potest, ut sit simul albū & nigrum:

nigrum:ut & simul formæ ipsorum patiātur, «
si est eiusmodi sensus & intelligentia. Sed quē «
admodum id quod pūctum quidam uocāt, «
quatenus unū & quatenus duo: ea est etiam «
ratione diuisibile. Quatenus itaq; est indiuisi «
bile, unum est quod iudicat, & simul. Quate- «
nus autem est diuisibile, non unum: bis enim «
eodē signo simul utitur. Quatenus ergò duo «
bus utitur, sine duo iudicat, & sunt separata, «
ut separatorū. Quatenus autem unum, uno «
& simul. Cum sumpsisset, quòd unusquisque sensus in eo existens sensorio, in quo existens sentit, & sensibilia sentit ipse, & eorū ad seinuicem differentias iudicat. Album enim & nigrum, uisus: dulce autem & amarum, gustus: similiter & aliorum unusquisq;. & per hoc cō firmasset, quòd qui aliqua sentit, eorum quoque differentias sentit: non enim alius est sensus aliqua sentire, alius uerò ipsorum iudicare differentias, per quas sunt sensilia: sed qui aliqua sentit, is ipsa quoq; iudicat: & qui ipsorum differentias iudicat, is ipsa quoq; sentit: idem est enim iudicare, quod sentire. propterea enim & sensus aliquod esse iudicium uidetur: & aliquid etiam inuenisset, quod non solum contrariorum inter se sensilium differentias iudicat, sed & omnium sensiliū: aspectabilium enim differentias à gustabiliū differētijs iudicantes, discernimus: similiter aūt

& ab audibilibus, & ab odorabilibus,& à cõ trectabilibus. Primũ quidem sumpsit, quòd hæc sensu iudicamus. Sunt enim & sensilia,& ut sensilium ipsorum iudicium facimus. Deinde ostendit fieri non posse, ut sensilium differentias iudicet ipse sentiens, quod non sit unum & idem. Neque enim fieri potest, ut quod non omnia sentiat, ipsorum ad seinuicem differentias iudicet. Si enim hoc quidem aliud, illud uerò aliud sentit: neutrum ipsorum potest cognoscere, quó nam ea quæ sentiunt, à seinuicem differant. Neq; enim in ullo alio est sensui iudicare, prçterquam in sentiendo. Cùm ex his autem sumpsisset, unum esse quod omnia sensilia sentit, & iudicat ipsorum differentias: deinceps ostendit, quod in eodem tempore & simul ipse sentit, & ipsorum iudicat differentias: siquidem quando iudicat ipsas, tunc sentit. Si autem simul ad se inuicem differentias iudicat, etiam simul sentit ea quæ iudicantur: in sentiendo enim, unà cum sensu consistit. Hæc cum sumpsisset, & unum esse sensum quo omnia sentimus: & ea simul sentire, quorum simul differẽtias iudicat: postea dubitauit, quia actu sentire, est sensilis formam absq; materia suscipere, quomodo fieri potest, ut quod unum est, plura simul & contraria sentiat? Si enim ita est, oportebit ipsum simul contrarias formas & affe-

ctiones suscipere, albedinem & nigredinem, quando quidē hæc sentiat,& hæc iudicet,dulcedinem & amaritudinem . Similiter & alia. Atqui fieri non potest,ut contrarijs simul motibus moueatur, idem in albedinem simul & nigredinem mutatum,& contraria suscipiat. Hæc cum ostendisset,& dubitasset, soluēs dubitationem sumpsit,quod id quod iudicat, simul quidem iudicet & sentiat plura,unū existens, & nō ratione diuisum,separatū autem, ut quod cum unū sit,per aliam quidē facultatem sit alicuius suscipiēs : secundum aliam autem,eius quod est ipsi cōtrariū uel diuersum, ut quod sit loco & numero indiuisibile,id est subiecto.Est enim loco indiuisibile unū,ꝙ in loco est.Huiusmodi aūt est cōtinuū, & nō diuisum,ꝙ est unū numero. Cū hoc aūt ad eius de quo dubitatū est solutionē dixisset,intulit qua ratiōe fieri nō posit, ostēdēs eo nō solui id de quo dubitatū est.Potest enim,ꝙ unū est numero,ratione differre,quod differētes habeat facultates,per quas potest cōtraria suscipere: sed nō sic cōtrariorū potest facultates habere,ut ipsa posit simul suscipere. Id enim ꝙ habet cōtrariorū facultates, nō sic eas potest habere,ut ipsorū simul etiā operatiōes admittat.Necesse est enim ipsum per operatiōes diuidi,ut in alio quidē tēpore alterū ipsorū fiat, in alio uero alterū. Sensus aūt ipsorum simul

differentias iudicat,ut qui & ea simul sentiat, & formas apprehendat: siquidem sentire est in rerum sensilium,formarum apprehensione. Propterea dixit,Si est eiusmodi sensus & intelligentia.Hæc autem cum dixisset,& ostẽdisset non posse per hæc solui motam dubitationem,subiunxit,ut prius dixi: Sed quemadmodum id quod punctum quidam uocant, quatenus unum,& quatenus duo, ea est etiã ratione diuisibile: & reliqua quæ sequuntur. Qui uerborum contextus ualde obscurè & breuiter dictus,tale quid uult significare: tale esse id quo animalibus sensilium sensus adest,ut posśint quidem simul esse unum,simul etiam plura:sic ut etiam signum,quãdo multarum linearum finis sumptus fuerit. Quæ enim à circuli circumferentia ad centrum ducuntur lineæ rectæ,finem habent omnes centrum circuli unum signum: quod signũ cum sit unum, & multa est etiam quodammodo, quando ut uniuscuiusq; lineę ad ipsum ductę sit finis.Si enim tale quid sensus fuerit,quatenus quidem unum est, & indiuisibile, unum erit quod iudicat:sed & simul iudicat ea quæ sunt in linearum finibus, quod omnes fines simul sint,& unum quid.Quatenus autem ut huius & illius finis sumitur,tot quoq; sumuntur,quot sunt rectæ:& per hoc rursus,quatenus quidem multi fines & diuersarum linea-

rum,

rum,multa erunt quæ iudicantur, & separata,& differentia. & sic quoq; est quodammodo separatum, quatenus centrum erat quodammodo multa,quorum unumquodq; iudicat eam quæ est in propria linea, affectionem. Quatenus autem unum est, quod est ex omnibus,non diuersum,& sibiipsi idem,unũ erit quod iudicat, & simul iudicat. Atq; id qui dem quod ad eorum de quibus dubitatũ est, solutionem dictum est,est huiusmodi. Quid autem eiusmodi in sensu sumi potest, ut unũ sit & multa, sicut circuli centrũ,quod in multarum rectarum fine sumptum est, non est inuentum facile. Nam & corpus est extremum sensorium, in quo multæ fiunt sensilium affectiones:nec fieri potest, ut quæ ex quinq; sensorijs ad ipsum transmittuntur, affectiones, tanquam per lineas, se eidem parti corporis applicent. sic enim in eodem rursus contrariæ affectiones fuerint,& contrarij motus: siquidem per talem motũ est, qui est actu,sensus. Neq; enim qui ab uno sensorio traduntur affectiones,possunt in eadem ipsius parte fieri. Nam contrariorum sunt eadem sensoria. Fieri tamen non potest, ut in eodẽ sensorio sint in eadem parte,quæ ex contrarijs fiunt, affectiones. Quando enim album & nigrum simul aspicimus, in quibus papillæ partib. fit, utriusq; ipsorum apparitio, sicut etiam uide-

mus fieri in ſpeculis, non dantur hi aditus. Non poteſt itaque hoc extremum, ut dixi, ſenſorium, ſic tranſmittere, ut non fiat in eius ſeparatis partibus. Quare in corpore quidem ſumi non poteſt, quod ad ſigni & linearum imaginis ſimilitudinem açcedat, ut finis eſt ſignum. Illius autem corporis facultati, magis fortaſſe conuenerit, quod extremum ſenſorium dicimus, cuius ſentiendi facultas forma eſt: quæ facultas ea ſentit & indicat, quæ in corpore, cuius facultas & forma eſt, fiunt, per eam quæ fit ex ſenſorijs traditionem. Nam & ipſa facultas cùm una ſit, & ueluti finis eius corporis, cuius eſt facultas, quando ad ipſum extremum motus feruntur, cùm ſit incorporea & indiuiſibilis, & omni ex parte ſimilis, una exiſtens fit quodammodo plures: quòd ſingularum corporis partium, cuius eſt facultas, motum ſimiliter ſentiat: ſiue in una aliqua parte motus in ipſo fuerit, ſiue in pluribus. In plurium enim iudicio, fiunt multæ quodammodo, quæ una eſt facultas, ut uniuſcuiuſque partis proprius finis accepta. Non poterat enim corpus ſimul in eodem plures affe-ctiones ſuſcipere: quod fieri non poſsit, ut in eodem contraria ſimul fiant in eadem parte, & ſint in eodem albi & nigri con-

trariæ

trariæ formæ. Quare nullum corpus potest hæc simul suscipere: sed hoc quidem in illa sensorij parte, in alia uerò quædam ex sensilibus, quæ simul adcurrunt, fiunt. alia uerò ea quæ à primis sensorijs ad ipsum aliquo modo feruntur. Nihil autem est quod sentiendi facultatem impediat, quominus ipsorum faciat iudicium: quia non est idem iudicare, quod pati. Fieri enim non potest, ut idem simul contraria patiatur: quia fieri non potest, ut aliquid simul contraria suscipiat. Contraria enim simul esse non possunt. Vt autem simul contraria iudicentur, nequaquam est ex ijs quæ fieri non possunt: neque enim in iudicando contraria sunt, si album iudicetur album: & nigrum, nigrum. Sicut enim in patiendo contrarium est in eadem parte pati contraria, & in eodem tempore, & propterea in patiendo hoc fieri non potest: sic in iudicando rursus fieri non potest, ut album quidem simul album, & simul nigrum existimetur. Quare rursus in iudicio, quod sic habet, simul esse non potest. Sed ut nigrum quidem nigrum, album autem album dicatur, non est eiusmodi quod fieri nō posit, quia nec est contrarium. Si enim esset necesse etiam in facultate quæ sensilia iudicat,

cat, sensilium primũ formas inesse, nec ea qui dem iudicaret, quatenus contraria, quòd nihil simul possit contraria suscipere. Sed quoniam in sensorio fiunt affectiones: eorum autem quæ in ipso fiunt, iudicium in facultate. Neq; enim fieri potest, ut id corporales affectiones suscipiat, quod est incorporeum: nihil uetat, quominus quæ in sensorio per aliã & aliam partem fiunt, simul iudicet ea facultas quæ est totius. Sensus enim est sentientis sensilium facultatis iudicium, per eas quæ in sensorio fiunt, affectiones per ipsa. Sic autem fit una & eadem facultas quodammodo plures: quæ simul fit, quòd earũ quæ in unaquaque sensorij parte fiunt, affectionum sensus simul faciat iudicium. Quæ enim eam, quæ in una aliqua sensorij parte fit, affectionem iudicat, facultas, ea iudicat etiam ea quæ fiunt in omnibus partibus: simul autem & quæ fiunt ipsius affectiones, eadẽ & una & multę quodammodo existens, per sensorij partes, quatenus patitur, diuidit: sicut etiam signum quod unum erat, fiebat multa, per linearum multitudinem diuisum, quarũ unaquæq; est finis.

De mari, ex Meteoris. x

CUm in secundo Meteororũ dicere proposuisset de mari, & quæ sit eius natura, & propter quam causam aquæ salsæ tantum

tum est: primum quæ de eo iam præcesserãt, opiniones exponit. Quarum, quæ theologorum quidem fuit, mare proprios fontes habere dixit. Naturalium autem alij quidẽ ex multa humiditate, quæ circa terram à solis motu & caliditate lata fuit: ea autem relicta, quam mare appellamus, id factum esse dicunt. Alij autem dicunt, calefacta à solis motu terra, excretam esse aquam hanc quæ mare appellatur. propterea enim salsam quoq; esse aquã, quia & salsus est sudor. Alij uerò terram & eius qualitatem, causam salsedinis esse dicunt. Aqua enim per ipsam fluens, tales sumit succos, quales & terra habet per quam transit & colatur. Post quæ cum ostendisset, mare non habere fontes proprios, quòd omnis quidẽ aqua fontana, si sponte scaturiat, à fontibus ex quibus incipit, defluit & recedit: quatenus autem nõ defluit, eam esse manu constructã, & non esse natura: tales enim esse puteos. Mare aũt nec esse ex ijs quæ manu extructa sunt, nec eorum quæ feruntur, & abscedunt. Per mare enim motus, & aduersi ac obsistẽtes fluctus fiunt, eadem aqua interfluente: quod cũ in uniuerso mari fiat, in faucibus quidem certe & angustijs id nobis apertũ euadit, quod iuxta terram in huiusmodi locis eius fit manifestus adfluxus. Si autem fit aliquis eius motus, dum ab altioribus ad magis concaua defertur:

fertur: non hoc fit ex proprijs fontibus, sed fluuiorum infusione, qui ex altioribus locis adfluunt, ex quibus fontes habent: ut eiusmodi motus ex fontibus quidem principium habeat, non tamen maris, sed fluuiorum qui in ipsum influunt. Quo in loco ostendit, aquæ non esse principium mare, & quartum elementum: quod quidam existimantes, dicebant, non solum fluuios ire in mare, sed & ex mari exire: dulcem autem habere aquam, quòd ea à terra percolata feratur. Post quæ ostendens, aquam, quę per terram transit, non esse sua natura salsam, salsedinis quæ dicitur causam reddidit: quòd cum aqua sit circa terram sita, & ei circumfusa, id quod est quidem subtilius & purius, sustollitur & euaporatur in dies à solis motu exhalatum: quòd id cum sit leuius & purius, in superficie supernatet. Cùm id autem assiduè sustollatur, & rursus mutetur & subsidat, salsum relinqui propter grauitatem in loco aquæ proprio. In his cum dubitasset, undénam principium & causa est salsedinis, quæ est in aqua maris, ostendit omnem aquam quæ salsa sit, ex ea quæ non est eiusmodi, per alicuius mixtionem fieri. Nam & aquam, quæ in uesica animalium cogitur, eam ob causam talem succum habere: enim terrenum quid mixtum esse apparet, quod

quod in ea apertè subsidere cernitur. Sed & sudor eiusmodi quid in se mixtũ habet, quod aqua quæ bibitur, à corpore assumit: nempe per ipsum colata, atque ipsum ueluti abluens & purgans. Eiusmodi est id etiam quod per cinerem colatur. Est autem id quod eis misce tur, ipsius quoque proprietatis causa, quodcunque inconcoctum in corporibus manet, nec potuit ab ea quæ ipsum concoquit, caliditate mutari. Talis enim est sudor & urina, & quod per cinerem colatur. Nam cinis est id terræ, quod ignis superare non potuit, & in ipsum mutare, sed incocta mansit combustæ materiæ particula. Quæ cùm confirmasset, assumpsit, oportere tale quid esse etiam id quod aquæ mixtum, ex se mare facit. Cùm autem dixisset, oportere incoctum esse aliquod excrementum, cuius mixtio sit causa eius quæ est in ipsa salsedinis, ostendens, quid'nam id est, sumpsit: quòd quemadmodum in corporibus animalium, in nutrimentis & mutationibus fiunt quædam in concocta excrementa: sic in mixtione cum aqua, fiunt in ipsis quædam salsa & amara sedimẽta. Sic autem oportet existimare, etiam in unoquoque eorum quę nascũtur, & fiũt, quod dam eiusmodi incoctum fieri sedimentũ, & plenã esse terram tali commixta sicca & incõcocta superfluitate, quæ est cineri similis, quæ
in

in ijs quæ à sole ex terra & aqua fiunt, exhala tionibus, immixtam, ut quæ fit leuior in ijs quæ fiunt in aquam, nubium congregationibus & mutationibus, & unà deorsum feratur, semper principium & causam esse aquæ marinæ qualitatis. Cuius superfluitatis in ijs quæ ex mari fiunt exhalationibus plurimum remanere. esse enim quod unà cum aqua sursum fertur, & in dulce mutatur in cōcoctione, & ea quæ fit ex nubibus, mutatione. Hoc autem quod remanet, esse causam salsedinis aquæ maris. Quòd autem unà cum pluuiatili aqua talis quoq; deorsum fertur superfluitas, ex eo ostēdit, quòd & australes aquæ sint latißimæ: & auster ex illis partibus gignatur, in quibus plus excitatur siccæ exhalationis. Latiores autem sunt & primæ autumnales aquæ, quando eas quæ sunt grauißimæ, primas deorsum ferri necesse est. Grauißimæ autem sunt, quę in se habent terreni plurimum. Quòd autem multum est huiusmodi in mari excrementum, ex hoc quoq; probauit, quòd id sit calidum. Quæcunq; enim igne succensa sunt, in se habent aliquam caliditatis facultatem, ut lixiuium & cinis, & subsidētia animalium excrementa. Porrò & eorum quæ uentriculum habent calidiorem, animalium, est, quod subsidit quoq; excrementum calidius. Probauit aūt, salsum per alicuius huiusmodi excre-

excrementi mixtionem fieri, ex historia lacus & fluuios adducens: qui cum falsi sint, eorum quoque aquam esse crassiorem, & magis terrestrem euenit, ut hi quidem propter crassitudinem non sinant corpora naturalia habētia sibi imposita deorsum ferri, illi uero calefacti propter crassitudinem sales faciant.

Argumentatio, quod nomina sunt ex impositione. XI

Si natura tales sumus ut nomina imponere possimus, idque à natura habemus, ut nominare, & rebus sua nomina imponere queamus: clarū est, quod nomina sunt ex impositione. nos enim per impositionem illis ea tribuimus. Neque enim fieri potest, ut si uniuscuiusque rei nomen esset natura, nos ipsa eis nomina imponeremus. Sicut enim, cum ad suscipiendam scietiam natura apti sumus, scientias natura non habemus, sed ut scientiam quidem suscipere possimus, ab ea in nobis est: sed non sunt itidem & ab ea scientiæ. Neque enim alioqui ad suscipiendas scientias apti essemus, sed ipsas scientias haberemus, et scientia præditi essemus: sic & posse quidem nomina imponere ab ea est, sed non ipsa itidem nomina ab ea sunt. Neque enim alioqui in nostra esset potestate, ea imponere. Quibus enim nomina natura statuta sunt, nō est

in secun-

ſecundum naturam, ut ijs nomina imponamus. Non eſt enim idem, nomina imponere, & dicere id quod iam poſitum eſt. Oporteret autem, ſi nomina natura poſita eſſent, eos quoque qui loquuntur, omnes eadem dicere. Sed ſi natura ſunt nomina, etiam oportet elementa per quæ ordinãtur, eſſe natura. Neque enim aliud eſt, in quo in earundem rerum imponendis nominibus gentes & nationes inter ſe differant, pręter elementorum & ſyllabarum certam quandam compoſitionem. Ad hoc autem adſtruendum, ſufficiunt & æquiuocationes, & dictiones plura ſignificantes, & nominum tranſmutationes.

Quòd ens, ſeu id quod eſt, non eſt infinitum. XII

RAtio, quæ uult oſtendere id quod eſt, eſſe infinitum, eo quòd qui in mundo finem eſſe aliquem poſuerit, uel ultra mundũ manum extendit, uel utiq; prohibebitur. Vtroque autem modo futurum aliquid extra mundum. Vel enim extrà eſt id quod prohibet, uel id quo erit quod extenditur, probabilitatem & ueriſimilitudinẽ habet ab imaginatiõe & ſenſu: ſicut & qui dicit, quicquid finitũ eſt, finẽ aliquem finire. Vtriuſq; enim eſt probabi-

babilitas ex sensu. Eo enim quòd nos, cum ijs quæ interrogantur, aliquid oppositum imaginari nõ possimus, nihil habemus quod ijs ex sensu præbeamus, eis fit uerisimilitudo, quæ fert testimonium aduersus rationẽ. Neque enim in aliquid eiusmodi finitum incidimus, ultra quod nihil est. Talia enim sunt ea omnia, quæ ut partes finita sunt, quæ sola sentimus. nec quid tale nobis occurrit, extra quod nihil esse posit. Sunt enim ea omnia quæ sentimus, singularia. Quare qui eiusmodi rationes oppugnare uoluerint, eis non est ex sensibus testimonium adducendum, extra quos sunt ea quæ quæruntur: sed ex rerũ substantia tentandum est argumenta adducere, cum sumpserint id quod est in eis manifestum, non posse eadem omnia toti & parti inesse, & toti, & unicuiq; eius partium. Quare nec à sensibus de partibus testimonium sumendum est, quibus connutriti sunt, & ad uniuersum transferendum: quod cum sit extra omnem sensum, præter id quod à nulla sentiente imaginatione adiuuatur, ipsorum quoq; multis aduersatur. Neq; enim uniuersum à parte aliquid differret, si quẽadmodũ uniuscuiusq; ipsarum est extrà aliquid, sic & illius ut rationi conuenienter esset idẽ aliquid & uniuersum. Sensus autẽ nihil potest eiusmodi apprehẽdere. Nõ ergo propter sensum

ab ijs desistendum est, quæ à ratione ponuntur. Neque enim in alijs sic facimus, quia nec sensilia sola esse dicimus, etiamsi ad ea probãda, de quibus quæritur, in multis sensuum testimonijs utimur, quòd eis cõnutriti sumus, & magna nobis cũ eis intercedit familiaritas & consuetudo. Si autem illis solis tanquã ueritatis mensura uti oportet, nullum fuerit inter nos & rationis expertia animantia discrimen, quod ád ueritatis attinet cognitionem. Eis enim satis est uerum, quod est in proprijs sensilibus. Quæ autem non sunt propria sensuum, absurdum est eam quæ in eis est ueritatem, ex sensuum testimonio dicere totam pẽdêre. Quòd itaq; rationi cõsentaneum est, esse aliquid & uniuersum, cuius partes sunt ea quæ sentimus, & quæcunq; sunt eorum principia & causæ: ad constituendũ & confirmandum satis est, quòd totum & pars ad seinuicẽ dicitur & refertur. Nam et pars est alicuius totius pars, & totum est partibus eiusmodi: siquidem id totũ est, cui nulla pars deest. Quare si partes quæ sunt in singulis, sunt sensiles, & totum quoq;, cuius hæ sunt partes: totius enim partes, alicuius sunt partes: absurdũ est etiam, quicquid ut pars dicitur, id non referri ad totum. Quare nec si ut partis partes dicantur, quæ primæ sumptæ sunt, illas quoque necesse est, quatenus pars sunt, esse alicuius alius

lius partem. Nisi enim totum quid fuerit, eas quoq; esse partes, sublatum fuerit. Sed si totũ quid esse necesse est, ad quod, quidquid ut pars & est et dicitur, refertur: idem est autẽ totum & uniuersum: siquidem utrunq; eorum definitur, quod nulla ipsis desit pars. quod tale est, finitum est: siquidem finitum est, cuius nulla pars deest. Est autem uniuersum eiusmodi. Neq; enim aliquid aliud quod extra ipsum sit, erit finiens & finitum: nec extendi utique aliquid potest, quod sit post id quod ab eo continetur. Neq; enim uniuersum & totũ amplius utique fuerit, extra quod est aliquid quod est. Est autem extra id quod est, aliquid aliud ab eo quod finit: & eo quod aliquid post se relinquit, siue quis iaculari, siue extendere ipsius partium, uel earũ quæ ab ipso continentur, aliquid poterit. Ad hoc ipsum quoque confirmandum, satis est quòd & eorum quæ sunt, sunt finita principia. Si enim infinita sunt: nec eorum quidẽ erit cognitio. Si autem non est eorum cognitio, nec ullius eorũ quęex ipsis fiunt: siquidem omnis scientia ex eo procedit, quòd eius quod sciri potest, habeatur de principijs cognitio. Si autem infinita sunt principia: sequitur, nihil eorum quæ fiunt, certo ordine fieri. Infinitorũ enim quis ordo fuerit? Ordinis enim in infinitis quænã fuerit causa? Neq; enim in ijs naturæ locus ul-

lus fuerit, cuius proprium est ut alicuius gratia fiant, quæ ab ipsa fiunt maxima ex parte: infinitum autem esse non potest in rebus quæ ordinem suscipiunt. Cur enim in infinitis hoc quidem magis ante illud, hoc uerò primum, illud autem secundum? sine quo fieri non potest, ut id fiat, quod fit alicuius gratia. Quomodo enim homo, uel equus, uel aliquid aliorum quæ fiunt, natura fiat, si sublatum fuerit ut hoc ne quidem sit primum eorum quæ ad ipsa conferunt, illud uerò secundum: & homo quidem ex homine, equus uerò ex equo fiat, cum sint infinita principia, & ordinem non admittant? Quid est enim quod sit infinita ordinaturum? Si autem necesse est fortuna & casu infinitatem regi, nec sic quidem fieri cernuntur ea quæ fiunt. Quæ enim uel semper eodem modo, uel plurimum fiunt, à prædictis causis longè remota sunt. Sic autem fieri uidentur, quæ natura fiunt. Quare & principiorum, & eorum quæ fiunt, sublata fuerit infinitas: siquidem fieri non potest, ut infinitum infinito maius sit. Sed conuenienter eorum opinioni, qui ponunt infinita principia, non hoc solum, sed multa etiam sunt infinita: uel potius sequitur ut dicant, infinities & esse & principia fieri. Quomodo autem non absurdissima hæc existimetur opinio?

Neq;

Neque enim infinito maius infinitum dici poteſt: ſiquidem infinitum neceſſe eſt ubiqueeſſe dicere, & omnem locum occupare. Neque enim infinitum eſt id, quod ubique non eſt: aliquem enim alij locum relinquere, finiti eſt. Eius autem quod tale eſt, nec ut exuperet quidquam fieri poteſt, nec ut præterid ſit aliud non modò infinitum, ſed nec finitum. Neque enim ſic utique amplius ubique fuerit. Quare eorum ſententia qui plura infinita eſſe dicunt, nihil fuerit ſimpliciter infinitum. Si enim plura ſunt infinita, nec infinitum erit ubique, & erit infinitum infinito maius: ſiquidem duo infinita unum excedant neceſſe eſt, & infinitum, & id quod ex duobus compoſitum eſt. Rurſus autem tria ſunt duobus maiora, & ſic additorum in infinitum auctio infinitè procedet. Vel enim non dicent duo infinita uno eſſe maiora & plura, & ſic eis eueniet, ut partes infinita dicant: ex talium enim ſolorum compoſitione nihilo maius eſt, uno quoque eorum quæ ſunt in compoſitione, id quod ex omnibus eſt compoſitum, quod ſolis punctis accidit. Vel ſi ita eſt, & præter omnem rationem, cum quæ ſunt æqualia compoſita, duplum faciant neceſſe ſit, id quod ex duobus infinitis compoſitum eſt, erit infinitum. Et ſic erit etiã aliquod infinitum æquale

infinito: & aliud alius duplum & dimidium, ita etiam & triplum auctum in infinitū: quo quid esse potest à ratione alienius? Præterea autem necesse est, etiam quorumcunq; quæ magnitudinem quidem habent, infinitū autem numero & compositione, infinitam aliquam facere magnitudinem; sed hac magnitudine nihil esse posse maius ei necesse est, qui infinita ponit principia, & ea seinuicē statim dicit attingere, & nihil inter ea esse intermedium. Sic ergo eo infinito quod ex infinitis compositis factum est, maius erit id quod ex infinitis principijs, & ijs quæ intercedunt, cōpositum fuerit. Quòd autem plura sunt infinita, eorum sententia qui dicūt infinita principia, ex hoc clarum est. Dicunt enim mūdos esse infinitos. Eorum autem siquidem unusquisq; ex infinitis principijs est compositus, esse infinita infinities infinita necesse est, uno quoq; principio eorum quæ sunt in infinitis mundis, ad unumquodq; infinitum faciente magnitudinem, in ea quæ est in se inuicem in unum compositione: siquidem infinitum esse necesse est, quod ex infinitis magnitudinē habentibus est compositum. Si autem ex finitis, quorum toties sunt infinita, quæ sunt: est ex tot finitis elementis, ex quot unusquisque mūdus est compositus. Si autem id etiā quod intercedit, inane connumeretur: multo maius

ius adhuc fuerit id quod efficitur. Si autē hæc ab omni ratione aliena sunt, & quæ omnem absurditatem excedūt: manifestum est, quòd absurda est infinitatis positio. Quæ cum ijs quoq; sequatur, qui, quicquid est finitum, ad id quod est extrà, finiri dicūt: & ijs qui uolūt eum, qui in fine fuerit, ulterius & extra finem posse aliquid extendere: clarum est, quòd hęc etiam obnoxia fuerint ijs absurditatibus quę antè dictæ fuerunt. Quare tentare oportet ea soluere, ab ipsorum substantia initium sumē tes, non à sensu qui ad eorum cognitionē nihil confert. Si ergo finito, ut sit finitum, suum esse in eo est quod ad aliud consideretur: rectè dixerint aduersarij, qui extra quodcunq; finitum aliquid esse debere censent, ad quod id esse apparet: siquidē in eo, ut sit finitū, finito suū esse est. Si autem est finitum, id quod finem habet, & quod potest in æqualia diuidi, & quod ex finitis est partibus compositum, quorum nulli in eo quod aliquid extrà sit, suum esse est: qui sumunt, quicquid finitur, ad aliquid finiri, non eorum quæ infiniti substātia comprehenduntur, aliqua sumpserint, sed aliquid quod eis accidit: quæ cùm sint uniuersi pártes, eis ut finitæ sint, adest. Cùm ijs enim insit, ut ad aliud uideantur, non quod finita sint, sed quod sint uniuersi partes, id quoque uolunt ad id transferre, quod est finitum, ut

uniuerſum, cùm hoc ijs ſolis conſequi poſsit finitis, quæ ut partes finita ſunt, non quatenus quidem finita ſunt, ſed quatenus partes. Etenim, ſi quod finitum quidem eſt, ſua habet natura ut finitum ſit: ad aliquid autem finiri, in ea quæ eſt ad aliud habitudine tale eſt: quod finitum eſt, non ex eo in eo fuerit; quod ad aliquid quod eſt finitur. Oportet enim eum qui rationibus adeò abſurdam naturam, & cum ijs quæ ſunt & fiunt, ut oſtendimus, pugnantem introducit, non ex breui aliqua & exili uerifimilitudine, eius probationem & confirmationem afferre, neque ab aliquo quod aliquibus ex finitis accidit, finiti ſumere naturam. Neque enim eſt hoc ei conſequens, qui dicit eſſe uniuerſum finitũ, nec ex ſenſu poteſt de ipſo eiuſmodi quid dicere. nec ea quæ fit ex ijs, quæ ſub ſenſum cadunt finitis, eſt comparatio ſimilis: ſiquidem in confeſſo eſt, hæc quidem præter id quod finita ſunt, etiam uniuerſi eſſe partes: ſed non uniuerſum alicuius utiq; pars eſſe poteſt. Quòd autem ſenſu non eſt in omnibus utendum, ij, aduerſus quos diſputatur, oſtendunt, qui & inſectiles aliquas magnitudines ponunt, quæ ſenſum effugiunt, & aliquid inane eſſe dicunt, & indiuiſibilia quædam, & incorporea, & motus & tempora introducunt. Quemadmodum autem huius quod dictum eſt,

est, ex aliquo quod finitis accidebat, fiebat argumentatio, sed non ex finiti substantia: & à sensus familiaritate & consetudine, non ex ea quæ ex ratione efficitur, consequentia: sic & in eo quod secundo loco dicitur, eum qui fuerit in fine uniuersi, uel ultra finem se extensurum, uel prohibitum iri. Vtroque autem modo fore, ut sit aliquid extra uniuersum. Nam & hoc ab ijs quæ ut partes finita sunt, argumentum ad uniuersum transfert: & uult nos eo qui est nobis circa hæc, sensu, & ea quæ ex ijs fit uisione uti, tanquam sic in omnibus habeat. Sed hoc non ita habet. Non enim quod apparet, uerum est. Non enim si alicui uisum obiectum fuerit, quòd sit in aliquibus locis, in quibus uel fuit aliquando, uel nec omnino unquam fuit: propterea & illic est ubi esse potest. Quòd enim non quicquid apparet, uerum est, satis testantur & dormientium & uigilantium uisa inania. Quibus simile est & supponere, aliquem esse in fine uniuersi, qui possit extra finem aliquid extendere. Quid enim ab hac imaginatione & positione differt, in eo quod non est, se esse ponere, & quærere utrum se ad eum accedentem admittet, an non: & utrum, qui in eo fuerit, stabit, nec quod aduersetur habebit, & manum extendere poterit, uel erit aliquid quod ipsum impediet. Aliquid enim

horum

horum in eo ponendum est esse, quod non est. Quare melius est huiusmodi imaginationes, ut quæ sint inanes, refellere: eas sequẽtes, quæ rationibus fiunt, demonstrationes, & ijs utentes, quæ per plura ostensa sunt. Hæc autem sunt: quod nullum corpus, nec ex simplicibus, nec ex cõpositis, infinitum esse potest. Sed nec inane quidpiam. Neq; enim spacium ullũ omnino sine corpore subsistere potest. Neq; uerò magnitudo aliqua per se esse potest à corpore separata, nec latitudo, nec profunditas. Quæ enim à Geometris dicũtur spacia, sub uno, & duobus & tribus, non tanquã quæ propriam subsistentiam habeant, ab eis dicũtur. A' naturalibus enim corporibus intelligentia separãtur, quæ & propriè sunt corpora. Ac sine corpore ea assumẽtes, de ijs uerba faciunt, quærentes & ostendentes, quę nã sint, quæ cum sint eiusmodi, ijs posſint inesse & accidere. Qui autem inane esse statuunt, nihil aliud quàm tres dimensiones ac distantias in subsistentia sine materia esse ponunt. Qui uerò dicunt, inane esse corporum suscipiens, nihil aliud quàm spacium spacij suscipiens esse asserunt. Neq; enim corpus aliqua alia ratione in loco est, quàm per tres quę sunt in ipso, dimensiones, Non enim quatenus colorẽ aliquem, uel succum, uel quippiam eorũ quæ accidunt, corpus habet, in loco est, sed per ea

quæ

quæ ſunt in ipſis interualla. Quorum ſi eſt ca
pax id quod eſt ęquale, uacuum erit in ſpacio
ſpacium. Sed ſi non ſufficit corpori, ad hoc ut
ſit proprium ſpacium, ſed æquali quod eſt in
ipſo, ſpacio opus habet: cur non & inane erit
in aliquo alio ſpacio, ſiquidem ſpacia aliis e-
gent ad hoc ut ſint ſpacia? Atqui rationi con-
ſentaneum eſt, ut longitudo non poteſt ipſa
per ſe ſine materia ſubſiſtere, ſimiliter autem
nec ſuperficies: ſic nec quod tertiam dimēſio-
nem ac diſtantiam accepit, quam profundita
tem nominamus, cuiuſmodi inane eſſe dicūt.
Inane ergo propterea non fuerit, quod eſt ex
tra uniuerſum. Pluribus autem oſtenſum eſt,
quòd nec corpus aliquod infinitum eſſe po-
teſt. Neque enim ut ſimplicia corpora plura
quàm quinq; ſint, fieri poteſt: quatuor quidē
materialia, quintum diuinum ac cœleſte cor-
pus, quod circulo circūagitur: nec ut eorum
ſit aliquid infinitum. Oſtenſum eſt autē etiā,
quòd cum ſimplicia ſint numero & magnitu
dine finita, neceſſe eſt ut quæ etiam ex eorum
compoſitione, mixtione & temperatura eſſe
habent, ſint ipſa quoq; finita. Oſtenſum eſt
autē, quòd nec fieri poteſt, ut ſint plures mun
di: ſed corporum naturam in mundo eſſe o-
mnino neceſſe eſt. Quæ cùm ita habeant, ni-
hil extra hunc mundum, qui uniuerſum quo
que eſt, fuerit: nec ullum aliud præter hęc cor
pus,

pus, nec ullum aliud ſpacium extra corporũ dimenſionem: quæ omnia abſurda tollũtur, nec uerò cuipiam friuolæ & exili uerisimilitudini cedere & acquieſcere oportet: ſed ijs qui interrogãt, an ſi is qui in uniuerſi fine fuerit, manum extendat, an prohibebitur, audacter dicere reſpondentes, non extenſurũ, ſed prohibitum iri non ab aliquo, ut ipſi dicunt, reſiſtẽte, qui circa uniuerſum ſitus eſt, ſed multò magis ab eo quod nihil ſit. Quomodo enim ad id quod nihil eſt, aliquid extenderit quiſpiam: uel quomodo in eo quod non eſt omnino, eſſe poſsit? Neque enim ullo modo appetitum cœperit quidpiam aliquã ex ſuis partibus extendendi in eo quod nihil eſt. Talis enim eſt natura eius quod non eſt.

Nonnulla de eo quod eſt in noſtra poteſtate. XIII

QVia quod in noſtra eſt poteſtate, eſt in rationali aſſenſione: propterea enim eſt in homine id quod eſt in noſtra poteſtate, quia ex animalibus homo ſolus eſt & ratiocinandi & deliberandi facultate præditus. Aſſentiuntur enim & expertia rationis animalia: ſed ea quidem quę ex ſenſilibus per ſenſus in ipſis uiſa fiũt, & eam quæ ab ijs in ipſis fit, affectionem ſequentia, aſſenſiones faciũt, ab ijs ducta, quò illa duxerint. Homo aũt, quando, ut homo, aſſentitur, præter uiſa etiam ratione

tione opus habet: quam cùm ad eiusmodi iu dicãdã à natura habeat, homo est. Per quam quidem ratione͂ uisa iudicat: & ideo si de eo quod ipsi se ingessit uiso, non idem uideatur quod à principio uisum est, ei non assentitur: alioqui, quo ad eã quæ ex uiso fit, affectione͂, assentiens. Et est electio, eiusmodi assensio, ut quæ sit consultatoria, & cum deliberatiõe su scepta appetitio. Id enim quod ex consilio de eo quod ex sensili uidebatur, ipsi anteponen dũ esse iudicatũ est, electio est. Si itaq; nobis uel deliberantib. sequeretur, ut uisis assentire mur: in nostra potestate nõ esset, nec esset cũ cõsilio assensio. Sed quia fit, eò quod cõsulte-mus, ut assẽsio nostra ualde aliena sit & remo ta à uiso & eius affectione: nõ iure, nec ex ratione uisis assentiri dicimur: quãdoquide͂ uisis nequaquã assentimur. Hęc aũt id ꝙ in nostra est potestate, omnino perimeret, & nec in nobis esse aliquid permitteret. Etenim si nobis nõ usuueniret, ut in omni se͂ offerente uiso deliberare possemus, fortasse uideretur etiam ipsum nõ esse in nostra potestate, sed esse aliquis uisi oblati euentus, qui ab ipso efficitur: qui cum ab illo suum esse habeat, uideri posset etiam ea quæ ab ipso fit assensio per illud fieri, per ꝙ & consultare, in quo est assẽsio. Si aũt uisum non habet hanc potestatem ut homo consultet, sed est in hominis potestate

ſtate, ut deliberet, uel non, multis quidem certè uiſis abſque eo quod deliberemus, non ſecus ac expertia ratiõis animalia, aſſentimur: nec eiuſmodi aſſenſio fuerit uiſus opus, ut quæ ei & in multis, & multis modis aduerſetur. Quòd autem de uiſis deliberãdi poteſtatem habemus, clarum eſt ex eo quòd prius dictum eſt: nos ſcilicet habere facultatem deliberandi, & non, & hoc in uiſi poteſtate nõ eſſe. Si nõ enim uiſum, quid aliud ſtatuerit quiſpiam, quod illius poteſtatem & dominationem habeat? Non enim quia communius nobis uideri dicimus id quod per rationẽ & opinionem inuentum eſt, id iam uiſum dicendũ eſt, & propter uiſum fieri talem aſſenſionẽ: ſi quidẽ quod propriè uiſum eſt, motus eſt qui fit ab eo ſenſu, qui actu eſt. Sed & quod laudantur quidem qui conſilium capiunt, uituperantur autem qui non: ſignum eſt, quod in noſtra ſit poteſtate conſilium capere, & non ſit hoc uiſi munus. Laudes enim & uituperationes ſunt ob ea, quę ſunt in noſtra poteſtate. Quare propter uiſa nec laudamur, nec uituperamur, niſi aliquorum ex eis nobis ipſi cauſæ ſimus. Propter eas autem quæ fiunt in ipſis, aſſenſiones, iam eorum alterutrum. Vituperamur enim ob ea uiſa, quæ nobis eiuſmodi ſe offerunt, quòd nos non exerceamus, nec meditemur. Quæ quidẽ exercitatio cùm

sit in nostra potestate, ut & consiliarios adsumamus, & hos magis quàm illos eligamus, clarum est quòd in nostra est potestate protinus cõsultare. Si enim in nostra est potestate ijs uti cõsiliarijs, per quos est talis assensio, in nostra quoqꝫ est potestate consilium capere. Nam quoniã in eos qui consultò & ex deliberatione peccãt, grauius animaduertitur, ut qui ex electione id fecerint, clarũ est, quòd quidquid consultò & ex deliberatione fit, est in nostra potestate.

Eorum quæ in quarto Meteororum tractantur, imperfecta pertractatio XIIII.

CVm in secundo De generatione & corruptione, de elemẽtis, igne, aere, aqua, terra, & quæ fit eorum per formã substantia, & causa dixisset, & per earum quæ formam ac speciem faciunt, differentiarum in se inuicem mutationem, ex se inuicem generationem ipsis esse dixisset: in hoc, qui quartus quidem Meteororum, seu rerum sublimium inscribitur, De generatione autem & corruptione tractatui magis conuenit, quatuor primum differentiarum meminit, quæ formam elementis tribuunt, quæ erãt duæ primę simplicium cõtrarietatum, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. His enim in se inuicẽ qua-

drupliciter combinatis, unumquodq; ipsorũ formam ac speciem suscipit. Postea ostendit quatuor harũ differentiarũ duas quidẽ esse agentes, caliditatẽ & frigiditatẽ: patibiles aũt duas, siccitatem & humiditatem: & unicuiq; elementorũ ex utrorumq; contrarietate esse alterã, ut omnia & agendi & patiendi in se facultatem habeant. Post quæ proposuit dicere de operibus, quę ab actiuis facultatibus fiũt: quæ sunt, ut dicit, concoctio & inconcoctio, & utriusq; horum species. Præterea autem & eorum quæ ab ipsis patiũtur, (ea autem sunt siccum & humidum) species & differentias. Et cùm dixisset, primùm in quibus sit & fiat talis mutatio, quòd scilicet ea sunt, quæ natura crescunt, & animalia, & eorum partes. Quoniam uerò ex horum quatuor corporum coitu hæc sunt, quæ antecedenter & principaliter secundum naturam fiunt, in ijs quoque tradit, quæ sit simplex & naturalis generatio: nempe quòd est ab actiuis facultatibus, caliditate & frigiditate, subiectæ materiæ in unaquaque natura per patibiles qualitates, siccitatem scilicet & humiditatem, mutatio: quando eam rationem inter se habuerint, ut illæ quidem agere & mutare, hæ uerò mutari & pati possint. Generant enim calidum & humidum ea, quæ ab ipsis hoc

hoc modo generantur, dum materiam exuperant: est autem eis materia altera contrarietas, siccũ & frigidum. Quando autem hac ratione non superant subiectam materiam: siquidem quædam sunt in partibus, quę subiectam materiam non superant, fit inquinatio & inconcoctio: si autem in generatione omnino, eiusmodi actiuarum facultatum imbecillitas redibit ad putrefactionem. Mutatio enim quæ est omnis secundum naturam corruptio, uia est ad putrefactionem. secundum naturam autem fit uia ad corruptionem, per senium & exiccationem. Quorum exiccatio quidem & arefactio, in plantis & arboribus magis propriè dici poterit: in animalibus autem, senectus. Si autem fiat in partibus actiuarum facultatum imbecillitas: fit inquinatio & inconcoctio. Quarum inquinatio quidẽ, est rursus magis propriè in partibus animalium. Omnium enim quæ natura fiunt, secundum naturam finis est, marcor & putrefactio. Non est enim secundum naturam uiolenta corruptio. Propterea enim quæ secundum naturam corrumpuntur, primùm quidem in humiditatem mutantur: quòd, quæ est in ipsis caliditas, non possit uincere humiditatem, ut eam ualeat concoquere. Ipsius autem humiditatis finis est, ut dum à calidita-

te exhalata, excreta extracta, & dissipata sit, sint, quæ supersunt, sicca. Eorum enim quæ fiunt, finis est, ut in ea resoluantur ex quibus facta & constituta sunt, definientibus, & sicco humidum miscentibus causis efficientibus, quæ erant calidum & frigidum. fit autē eiusmodi, hoc est, quę est secundum naturam corruptio, quando propter id quod ambit, uincitur id quod definit, quod quidē est antecedenter calidū, ab eo quod ab ipso definitur, quod est humidum & siccum: quo fit, ut ab ea quæ est in ambienti maiore caliditate, consumpto eo quod est in ijs quæ corrūpuntur & putrescunt, calido plus uirium habeāt, & magis dominentur ea quę patiuntur. fit enim generaliter eorum quæ putrescunt, putrefactio, per naturæ ab ipsis separationem. Est autem natura in unoquoq;, motus eorū et caliditatis principium. Est autem in omnibus quæ natura constant, antecedenter eiusmodi calidum. Postea autem tradit definitionem putrefactionis, dicens eam esse corruptionem eius caliditatis, ambiente quæ est in unoquoq;. Quia autem est per calidi defectū corruprio: quicquid autem est cui calidi facultas deficit, frigidum est: utraq; sunt putrefactionis quodammodo efficientia, calidum & frigidum. Fit enim ab exuberantia utriusque, calidi & frigidi: sed frigidi quidem proprij,

prij, calidi autem alieni. Propter talem enim, & quæ fit hoc modo, mutationem, quæ putrescunt, ficciora fiunt, & tandem terra & fimus. Hoc enim fit, quòd cum ex unoquoque eorum quæ corrumpuntur, exeat proprium calidum: fimul etiam exhalatur quod est in ijs, proprium humidum: quod ficcitatis causa fit, cùm nō sit amplius quod inducat & attrahat humidum: quod quidem erat ea quæ unicuiq; innata est, caliditas. Adiecit autem & ijs quæ prædicta sunt, consequentem esse causam, quòd in frigoribus quædam non similiter concrescant. quia enim hyeme minus est calidum quod est in ambiente, non sic flaccescit et debilitatur, sed contrà etiam augetur id quod in unoquoq; est proprium calidum. Sed nec quæ propter frigiditatem concreta sunt, similiter putrefiunt: quòd propter ampliorem frigiditatē, non superetur ab ea quæ est in ambienti aere, caliditate. Nam si esset eū moturus & mutaturus calor, in eo ꝙ moueret, superaret. Sed nec quę bulliunt, putrefiunt. Quare & ea quæ est in ijs caliditate minor est, quæ est in ipsa ambiente aere, caliditas. Sed nec ea quę mouentur & fluunt, simili ter ab eo quod est in ambienti ea aere, uincūtur: ac ea quę non mouentur, & quiescunt. sic enim fit imbecillior, quæ est in aere, caliditas, in eo quod mouetur. motus enim auget id

quod est in unoquoq; calidũ, uentilans & accendens. Eandem aũt esse causam, cur multũ minus mutetur & corrumpatur, quàm paucum. est enim plus calidi et frigidi in eo quod plus est. Quare non superantur ea à facultatibus quæ sunt in ambienti aere. hæc enim causa est, cur & mare, & alia aqua diuisa putrefiat. Dixit etiam causam, cur ex ijs quę putrescunt, generentur quædam animalia. Quæ enim ex ijs quę corrũpuntur, excernitur caliditas, cum sit naturalis, generat quędam, & consistere ac coalescere facit, in quibus bene temperata fuerint. Cum aũt de cõmuni generatione & corruptione in genere dixisset similiter, uenit ad ea dicenda, de quibus propositũ fuerat. Ea aũt erant ut diceret, per quæ nam prædictæ facultates, caliditas scilicet & frigiditas, generationẽ & corruptionẽ eorũ quæ fiunt, operẽtur, ex ijs quæ sunt ipsis subiecta. Ea aũt in naturalibus corporibus erant sicca & humida. ea enim sunt illis materia. Quia enim omnis generatio & mutatio est ab agentibus facultatibus, quarum caliditas quidem est propriè causa generationis: dominante enim calido, & siccũ quidem coagmentante, & frigidum cõcoquente, & definiente, fit generatio. Si hoc autẽ non dominetur, ꝙ frigidum plus habeat uirium, frigidum contrariorum corruptionis et putrefactionis causa est.

Quia autẽ coctio & inconcoctio multis modis dicitur, de ijs meritò dicere proposuit: & primùm quidem dicit per quę'nam, calidum eas quæ per ipsum fiunt, in subiecto facit mutationes: & dicit proprium quidem esse calidi opus & munus, concoctionem. esse autem concoctionis species & differentias, maturationem, assationem, elixationem. frigiditatis autem proprium esse opus, incõcoctionem: eius autem rursus esse species & differentias, cruditatem, inquinationem, exustionem. In quibus cum dixisset, non esse hæc propria nomina ijs de quibus dictum est: eo autẽ quòd unicuiq; eorũ non sit propriũ nomen impositum, ab ijs quæ nomẽ habẽt, nomina transferre necesse est, ad ea quę sunt nomẽ habenti bus similia: quare nõ ea, sed similia existimare oportet ea quæ dicta sunt, dicit & definit, quid est eorum quę dicta sunt unumquodq;. Et primùm dicit quid est cõcoctio: & postea dicit quid est incõcoctio, quæ est cõmuni concoctioni opposita: postea de maturatione tractat, quę est sub cõcoctione. Et postquã de ea tractauit, dicit de crudelitate quæ est sub incõcoctione, & elixationi opponitur. Post quæ cũ quid est assatio dixisset, quę est etiã ipsa cõcoctio, dicit de exustione quę est sub incõcoctione, et assationi opponitur. Quorũ concoctionẽ quidẽ esse dixit, perfectionẽ à naturali

& proprio calido, oppositorum patibilium. sunt autem opposita inter se inuicem patibilia, quę est in unaquaq; materia, siccitas & humiditas. ea enim sunt quæ concoquuntur & definiuntur à calido. Inconcoctio autem est imperfectio, propter defectum propriæ caliditatis, quod est frigiditas. Quorum enim finis & perfectio est cōcoctio, inconcoctio ijs est imperfectio. Rursus maturationem quidem dixit, concoctionem & perfectionem eius, quod est in ijs quæ sunt circa fructus, nutrimenti. Est autem ijs perfectio, posse dici ex ipsis aliud fieri eiusmodi. Dixit autem & alia matura, per eam quæ fit ad ipsa relationem. Cruditatem autem, imperfectionem & incōcoctionem eius nutrimēti quod est in eo q̃d circa fructum est. Deinde ostendit, necesse esse quicquid maturatur, nō solum habere humiditatem, sed & siccitatem. Deinceps elixationem definijt, concoctionem ab ea quæ est in ambiente aqua, caliditate, eius quod est in ipsa indefiniti humidi, quod est uel spiritus aliquis, uel aqua. Adiecit autem, & de quibus elixatio prædicetur, quæ cōmunius elixari dicuntur. Definijt autem & inquinationē, esse elixationi contrariam incōcoctionem. Quia autem multis modis dicitur elixatio, & inquinatio quoq; tot modis: unicuiq; elixationis differētiæ opposita aliqua propria inquinatio-

natione. Postea quid est assatio dixit, quòd concoctio est à caliditate sicca & aliena. A sicca autem dixit tunc caliditate fieri, quando fit siccum, quod sic concoquitur. Eam autē quæ ei quæ assatio dicitur, opponitur, incoctionē nomen quidem nō habere dixit: sed esse exustioni persimilem, quando quod assatur, mutatur quidem, sed non assatur: quod fit uel propter defectū caliditatis, quæ mutat id quod assatur: uel propter abundantiam humiditatis, quæ est in eo quod assatur. Cum de iis autem dixisset, transijt ad differendum de patibilibus facultatibus, quæ sunt siccitas & humiditas: & ostendens quænam sint horū utriusque differentiæ, & quæ & quot species quæ ex ipsis fiunt, primùm quidem admonuit, corporum esse principia, quatenus sunt patibilia, humidum & siccum: alia autem quę non sunt principia, sed sunt, & facta sunt ex principijs, ex iis esse mixta. Vtriusuis enim plus habet, quod mixtū est, ei adscribitur, & in eius ordine ac numero censetur: quæ sicci quidē plus habent, sicco: quæ autem plus humidi, humido. Quæcunque autem sunt humida, & quæcunque sicca, eorum alia quidem actu esse dicuntur, alia uerò potentia. Post quæ cum sumpsisset mixtionem frigidi & sicci, causam esse ut sint definita, quæ ex iis mixta sunt: utrumque enim ipsorū esse per se definitū: sum-
 psisset

psisset autẽ, & humidum quidem patibile elementorũ esse aquam, siccum aũt terram: in quibus & q̃d est frigidum, magis per se esse uidetur patibile quàm agẽs: adsumpsisset autẽ, & quicquid est definitũ corpus patibile, uel molle esse, uel durum: et dixisset, quid est molle, & quid durũ. Durũ quidem, q̃d resistit, & non cedit in superficie: molle aũt, quod in superficie cedit, ꝑ id quod in eo diuisum est, cõtra reluctetur & obsistat. Quoniã quodcũq; est definitum ac circumscriptũ corpus, uel est durum, uel molle: cõcretum aũt est, id q̃d est definitum: ad dicendum de concretione accessit. Et cũ in memoriã reuocasset, ex causis quę sunt circa materiã, quę'nã sint, unde est principiũ motus & forma: & sumpsisset, eas esse causas omniũ quæ natura fiunt. Nam & in cõcretione, & dissolutione, & humectatione, & exiccatione, cùm aliqua quidẽ esse efficientia, aliqua uerò & affectiones, & eorum quę fiunt esse formas dixisset, efficientes sumpsit, eas esse dicens caliditatẽ & frigiditatem: affectiones autẽ, quę ab ijs corporibus accedunt, calidum & frigidum. Post quæ, ad tractandum de concretione reuersus, cum sumpsisset, concrescere esse quodãmodo exiccari, dixit esse de eo primũ dicendum: & primum sumpsit quæ'nam sint quæ siccentur, nempe aqua, & quæcunq; sunt aquæ species, & quęcunq;

cunq; habent aquã uel innatã uel congenitã, uel adſcitã & aduentitiã. Deinde cum quæſiuiſſet à quibus nam ſiccentur, et ſumpſiſſet ꝙ quæcunq; exiccantur, uel calefacta uel refrigerata ſiccantur: adiecit, ꝙ & quæ calefiunt, & quæ refrigerãtur, calido exiccantur, uel q̃d intus eſt, uel q̃d extrà eſt. Externo quidẽ, quę ab ambiente calido exiccantur: interno autẽ, quæ à frigido. A' frigido enim conſumptũ quod ineſt in iis quæ exiccantur, calidum, & diſperſum ac diſſipatũ, unà etiam exhalatur quod eſt in eis humidum: quod cum ſit, exiccatur. Cùm autem dixiſſet, quę nam ſunt quę exiccantur, & à quibus, & per quæ, nempe ꝙ per calidum externũ uel internũ, tranſiit addicendũ de iis quæ humectantur, quæ iis quę exiccantur, contrario modo afficiuntur: et cũ ſumpſiſſet, eius q̃d eſt humectari, eſſe plures differentias (Humectantur enim, quæ humectantur, partim quidem quod per conſiſtentiam ac conſtipationem humectetur aer, hoc eſt in aquam mutetur, quod erat humidum patibile: refrigeratus enim ſpiritus, & conſiſtens, & cõdenſatus ac compreſſus in aquam mutatur) de concretione, & tali in aquã mutatione dixit: ſimul etiam apertum fore dicens, quid ſit cõcretio. Quoniam autem quæ ſunt cõcreta, uidẽtur liquefieri, iis adiecit quę nam ſint quæ cõcreſcãt. Quæcũq; enim cõcreſcunt,

scũt,ea,ut quę sint uel aqua,uel aquæ species, concrescunt, uel cum terra, uel aqua solum. Quibus adiecit, à quibus nam cogãtur & cõcrescant. uel enim à calido, uel à frigido, uel humido. Quare etiam à contrarijs soluũtur. Quæ enim à sicco calido, q̃d est ignis, coacta & concreta sunt, ab aqua soluũtur, quę est humida & frigida. Quę aũt à frigido coacta sũt, à calido soluuntur, nẽpe ab igne. Quibus adiecit, ꝙ quæcunq; ex aqua sunt, ea ab igne nõ coguntur: ab eo enim soluũtur. Si enim ideo concrescunt, ꝙ id q̃d est in eis, calidum separetur: illius pręsentia, ea meritò soluerit, sed eorum cõcretionis frigidum efficiens causa est. Quare nec quæ sunt eiusmodi crassescunt ac densantur, ꝙ densatio quidẽ fiat abscedente humido, cõsistente aũt sicco: aqua aũt sola ex humidis nõ possit densari, ꝙ ea nihil in se siccitatis habeat. Quod aũt ex aqua & terra mixtũ est, ab utrisq; cogitur, & à calido & frigido, sed nõ eodem modo: sed à calido quidẽ humidum euaporante, à frigido aũt id q̃d est in ipsis calidũ exprimente, cum quo etiã euaporatur id q̃d est in ipsis humidum. Quibus adiecit, eorum quidem quæ mixta sunt, alia densari, alia uerò non densari, sed concrescere. Cùm aũt dixisset, quę concrescunt, & quomodo, & à quibus, dixit deinceps de ijs quæ soluuntur & liquescũt. Quorũ quæ à frigido qui-

quidē coacta sunt, in quib. est plus terræ, quę, quód calidū abscesserit, cōcrescunt, ea calido soluūtur & liquescūt, in ea rursus ingrediēte calido, sicut fit in luto propter frigiditatē concreto. Quæcunq; aūt propter refrigerationē quidē concreta sunt, sed nō sic ut calidū sit ab ipsis solum separatū, sed ut cū eo quoq; euaporatum sit humidū, ea nō soluuntur nisi uehemente & excedente caliditate, sed molliuntur, & ducuntur ut ferrū & cornu. Sed ea quoque dicit non liquefieri. Quare adiecit quænam etiā alia liquescant. Et quæ à sicco, quidē calido coguntur, id est ab igne, hęc quidē insolubilia manent, illa uerò humido soluuntur. Cornu quidē dissolui non potest. & quidam lapides, quorū generatio existit, terra ab igne cōbusta, et unita. Nitrum aūt, & sales, humido frigido: id eiusmodi esse dicens, q̄d in sua habet substantia & propria natura frigidum, cuiusmodi est aqua. Non ita aūt & oleū in sua habet substantia & natura frigidum. Quare nec ipsum inter aquæ species assumpsit. In sua aūt natura non habet frigidum, ꝙ habet multū aeris. Quęcunq; enim ex mixtis aquæ plus habēt quàm terræ, calido densantur. Quæcunq; aūt plus terrę, cōcrescunt. Per quæ ostendit, ꝙ nitrum & sales terræ magis sunt. calido enim concreta sunt, sicut lapis & lateres. Deinceps de oleo dubitauit. Neq;

enim

enim à frigido cogitur, q̃d ijs usuuenit quę ex aqua sunt: nec per calidum concrescit, q̃d ijs euenit quę terræ plus habẽt. Quod aũt à neutro cogitur, ab utroq; densatur. Causam aũt tradidit, ꝙ sit aere plenũ: cuius signũ adiecit, ꝙ aquæ supernatet, & ab ea uehatur, ut aer, & quæcunq; multum in se interceptũ habent aerem, ut ligna. Deinde dicit, quomodo à frigido condensetur oleum, & quomodo à calido. frigidum enim ipsum cõdensat, eum qui est in ipso, aerem, in aquam mutans refrigeratione. Aquæ enim frigiditas in oleo, ipsum condensat. Ab igne autem & tempore incrassatur, & albesit. Et albescit quidem, eo quod in ipso est reliquũ, euaporato aqueo. Incrassatur autem, quòd aer qui est in ipso, in aquã mutetur, à calido debilitatus. A' maiore enim calido id quod minus est, flaccescit & euanescit. Post quæ sumpsit tanquam generaliter ostensum, quòd quęcunq; ex mixtis à frigido non densantur, sed concrescunt, ea magis esse aquæ: eiusmodi sunt uinum, acetum, lixiuium, serum. Quæcunq; autem ab igne densantur, non euaporato eo quod est in ipsis humido, alia quidem sunt ex terra, alia uerò sunt terræ & aquæ communia. Mel quidem ex terra. Communia autem, oleum, mel, lac, sanguis. Dicit autem esse terræ & aquæ communia, sicut est mel, sic & lac, & sanguinem.

guinem. Quòd autem lac, cùm sit ex utrisq;, plus terræ habeat, ad ostendendum adduxit, quòd si lacte cocto separetur serum lactis, exuritur, ut & alia cocta quæ terræ plus habēt. Post quæ causas tradidit, cur eorum quæ concreta sunt, alia quidem dissoluantur, alia dissolui nequeant. Dissolui quidem potest nitrum, sales: dissolui autem nequeunt lateres. Et alia quidem sunt mollificabilia, ut cornu: alia uerò quæ non possunt mollificari, ut lateres & lapides. Causa autem est, quia duo sunt quæ cogunt, ut dictum est, calidum & frigidum: ea autem aliquando dissolui necesse est frigido & calido. Quæ à calido quidem concreta sunt, frigido. Quæ autem à frigido, calido. Quare igne quidem soluuntur, quæcunque aqua concreta sunt. Aqua autem, quæcunq; ab igne coacta sunt. Ab aqua ergo soluentur, quæcunque ab igne solo concreta sunt. Ab aqua autem rursus, quorumcunq; aqua concretionis causa est. Si autem aliqua ab utrisq; cõcreta sunt, ea quidem maximè dissolui non possunt. Per utraq; autem concrescunt, quæcunq; cogit præcalefacta frigidum. Cuius causam tradidit: Quando à calido, eorum quæ per utraque concrescunt, fuerit euaporatum humidum, quod est in eo quod concrescit, frigidum postea ipsum comprimit, & sic condensat,

densat, ut ne humido quidẽ detur transitus, Et propterea à neutro dissolui possunt, quæ sic cõcreta fuerunt. Dicit autem, etiam ferrũ per utrunq; cõcrescere. Primò enim per ignẽ concretum: eius enim per eum fit generatio, postea per frigidum concrescit. Quare etiam paulo antè dixit, ipsum nõ liquescere, sed duci & molliri. Sed nec ligna liquefieri, sed comburi posse dicit, quia ex terra sunt & aere, sed non ex aqua. Cuius signum rursus adduxit, quòd ea aqua uehantur, aer enim eiusmodi. Desunt quædam, ut antè scriptum est, in hac recensione eorum quæ dicta sunt in quarto Meteororum Aristotelis.

De eo quod est tanquam indiuisibile XV.

QVæ sunt ueluti indiuisibilia, sunt indiuisibili similia, nõ indiuisibilia. Quia nec ullũ aliud alicui simile, idem est, q̃d id cui est simile. Simile est enim indiuisibile: & id quod apparet indiuisibile, non indiuisibile, ut & qui apparet syllogismus, nõ syllogismus. Sed si non indiuisibile, clarum est id partes habiturum. Sic autem nihil erit indiuisibile. Quæcunq; enim pars ipsius sumitur, ea erit ueluti indiuisibilis; quòd ei quod indiuisibile dicitur, suum esse sit in eo quod est tanquam indiuisibile: siquidem per hoc

se ex-

ſe explicant, ne ex indiuiſibilibus componatur magnitudo. Si quis autẽ id eſſe dicat, tanquam magnitudinem, rurſus non erit magnitudo. Si autem omnis eſt magnituddo, iuiſibilis, quod eſt tanquam magnitudo erit ſua natura indiuiſibile. Si eſt autem indiuiſibile, erunt ex indiuiſibilium compoſitione magnitudines. Si quis autem dicat hoc, tanquam æquiualere ei quod eſt, potentia erit id quod eſt tanquam indiuiſibile, potentia indiuiſibile. Si autem ita eſt, nihil erit actu, quod ſit indiuiſibile: ſiquidem nihil eorum quæ ſunt aliquid potẽtia, ſiunt id quod eſſe poſſunt. Quare nec id quod eſt tanquam indiuiſibile, eſt in diuiſibile: ſed ſi non actu, ſed potentia eſt indiuiſibile, quod eſt indiuiſibile, eſt hoc uidelicet exiſtens potentia: quid ergo exiſtẽs eſt indiuiſibile potentia? Et ſi magnitudo eſt id quod eſt tanquam indiuiſibile: ex iis autem eſt magnitudo, eſt enim ex tanquam indiuiſibilib. erit omnis magnitudo ex magnitudinibus compoſita, & diuiſa in magnitudines: ſic autem etiam in infinitum ſectio procedet. Præterea ſi id quod eſt tanquam indiuiſibile, eſt materia magnitudinis: omnis autem materia eſt alicuius per aliquam mutationẽ: id quod eſt ueluti indiuiſibile, erit indiuiſibile: quia id quod eſt tanquam indiuiſibile, erit aliud ab eo quod eſt indiuiſibile. Si autem ita eſt, uel

o com-

compositũ faciet id quod est indiuisibile, ut diuisum. Sequitur autem rursus in dicẽdo ipsum in indiuisibilia diuidi, ut ex indiuisibiliũ compositione fiant magnitudines.

ALEXANDRI APHRODISei Naturalium difficilium dubitationum & earundem solutionum, Liber quartus.

Dubitationes aduersus eos qui uiuere non bonum esse dicunt. 1



SI bene nauigare, bonum: male autem, malum: nauigare non est bonũ, nec malum. & si bene uiuere, bonum: malè autẽ, malum: uiuere nec bonũ, nec malum: an non uerum est, eorũ quæ sunt opposita, facultates esse medias & indifferẽtes? omnis enim eiusmodi facultas & bonum est & eligendũ, quòd scopũ habeat id, quod est melius ex iis quæ potest. Id enim quod est deterius, fit in iis quę sunt aliquid potẽtia, quòd ab eo quod sibi proponebant, aberrauerint, nec id assecuta sint. Quæcunq enim eorũ quę sunt eiusmodi, arte fiũt, gratia melioris ex iis quę in ipsis fieri possunt, fiũt: & quęcũq natura, similiter. Nauigare enim, ab arte gubernatoria, bonæ nauigationis gratia inuentũ est. Et serra secare, ab arte fabrili, rectè secãdi gratia.

tia. Quare illi quidẽ nauigare eligendum est, huic uerò secare: quia sine ijs fieri non potest, ut illæ finem propositũ assequãtur. Nõ enim ex ijs quę fiũt in aliquo, propterea quòd non sit aliquid assecutũ, est de subiectis sumẽdum iudicium: sed ex ijs quorũ gratia antecedẽter ac principaliter sunt & fiunt. Sicut aũt habet in ijs quæ per artes fiunt, sic & in ijs quæ secũdum naturã. Nã & in ijs naturæ scopus est id, quod est melius utrarũq; facultatũ. Eas enim eius gratia dat natura. Quęcũq; enim fieri nõ potest, ut statim cũ à natura fiant, suã habeãt perfectionẽ, ijs largitur natura facultatem, ut perfecta euadãt. fieri aũt nõ potest ut aliquid alicuius facultatẽ habeat, quod non id quoq; possit, quod est ipsi oppositum. In eo enim facultas & potentia ab actu differt. Quãobrem sunt quidẽ facultates antecedẽter & principaliter meliorũ: est autẽ eis quoq; ex necessitate cõsequẽs, ut sint etiã illis oppositorũ. Si itaq; uniuscuiusq; iudiciũ à principalib. & antecedentib. & ijs quorũ est, sumitur: nõ enim non ambulãdi gratia est ambulatoria facultas, etiã si sit aliquãdo in eo ꝙ id potest, eius etiam priuatio: si eligendũ quidẽ est ambulare, sua pte quoq; natura eligẽdũ est, posse ambulare. Si aũt illud non eligendum, nec posse quidẽ. Iã uerò etiã uiuere, quod in se habet & bene & malè uiuendi facultatem, nobis à natu-

ra datum est rectè uiuendi gratia. Neq; enim fieri poterat, ut statim geniti hoc haberent, ut rectè possent uiuere. nihil est enim in imperfecto perfectum. Quidquid autem est imperfectũ, statim ut fiat est eligendũ, ut quod datum sit gratia optimi eorum quæ in nobis fieri possunt. Optimum enim & finis est rectè uiuere. Hoc autem fieri non potest, si non adsit ipsum, uiuere. Quomodo enim fieri potest, ut hoc secum conueniat, & nõ sibiipsi repugnet, simul hoc dicere, esse nobis hoc propriè à natura tributum, ut nostræ salutis gratia omnia faciamus: & simul dicere, non tanquam bonum aliquod id nobis propriũ naturam tribuisse? Quod enim ad hoc quod est uiuere, tanquam bonum, propria & nobis insita inclinatione afficimur, ex hoc manifestũ est, quòd & liberorum procreationis magno studio teneamur, ut qui per illos simus quodãmodo futuri. Ac etiam per hoc quòd quęcunq; timemus, magis timemus, quòd ea nobis mortis causam futura suspicemur. Quòd autem ab ea quæ est ad optima, facultate, eorum quæ sunt intermedia, iudicium sumitur, clarum est ex eo, quod in confesso est hominẽ alijs esse animalibus animal pręstantius: & id propterea, quòd nullum aliorum potest uirtutem suscipere. Quòd ergo sit capax eius quod est optimum, (id autem est optimum, quod
eas

eas superat,quæ sunt in alijs animalibus uirtutes) ea est homo ratione melior. Nam si à deterioribus eorum quæ sunt intermedia, iudiciũ sumeretur:nihil uetaret quò minus homo uel omnium animalium pessimus diceretur, quòd uitij quod est omnium rerum pessimum,sit capax:uel nullo esse aliorũ animalium melior,quia in omnibus eligendis & fugiendis sequi oportet id,quod est boni iudicio eligendum.

Quòd non sunt unius & eiusdem speciei uoluptates. 11

HOc primum quidem ostendi potest ex cupiditate.Si enim omnis quidem cupiditas est iucundi appetitus: & in eo etiam suum ei esse est: in confesso autem est, ex cupiditatibus alias quidem esse eligẽdas,alias uerò fugiendas:non aliunde scilicet est eis differentia, quàm à uoluptatibus propter quas sunt, quòd eorum aliæ quidem sunt eligendæ,aliæ uerò fugiendę. Eodem ergo modo à seinuicem different uoluptates,quo cupiditates:siquidem ab ijs etiam sunt illis differẽtiæ. Atqui fieri non potest, ut unius & eiusdẽ sint inter seinuicem speciei, quæ sua natura differunt. Secundo ex actibus & operationibus. Quoniam enim uoluptas omnis in aliqua fit operatione,& est quædam necessitudo & af-

finitas uoluptatibus cũ ijs,in quib.fiũt operationib.sunt enim earũ scilicet quodãmodo fines: eodẽ ergo modo diuidẽtur & ipsæ, quo operatiões. Atqui operationũ in quibus sunt uoluptates, aliȩ quidẽ sunt eligẽdȩ,aliæ uerò fugiẽdȩ. Habebũt ergo & uoluptates eãdẽ inter seinuicẽ differẽtiã. Sed si ita est,nõ sunt unius & eiusdẽ speciei. Si enim est ab aliq̃ remotius id ꝙ cupit & desiderat,& nõdũ ipsũ habet, quàm id ꝙ habet,et cũ eo uersatur: longè fuerit ab operatione remotior cupiditas, quàm uoluptas,cũ in operatione sit uoluptas. est enim desideriũ uoluptatis: operationi aũt coniũcta est uoluptas,& eã sequitur. Quare si uoluptates quidẽ unà cũ cupiditatibus diuiduntur: multò magis cũ operationibus diuidentur. In confesso aũt est, operationũ, in quibus sunt uoluptates, alias quidem esse eligẽdas, alias uerò fugiendas. Quòd autem sint propriæ operationibus uoluptates, in quibus fiunt, & eæ specie à seinuicẽ differunt,& nõ in eo solum ꝙ in diuersis fiant operationibus: ex eo manifestũ est, quòd non posit, quæ est in aliqua alia operatione, uoluptas, in alia fieri. Tẽperanti enim intẽperantiũ operationes nõ solũ sunt fugiendæ, sed etiam iniucundæ: nẽpe ꝙ quȩ est in eis uoluptas, sit operationibus propria, et simul cũ eis diuidatur. Si enim ita nõ esset, nihil uetaret quominus sint ipsis qui-

quidem fugiendæ operationes, ipsæ tamen etiam tẽperantibus uoluptatẽ afferãt. Si autẽ quæ in alijs fiunt operationibus, uoluptates, sunt impedimẽto ijs quæ in alijs fiunt: neque enim qui tibię sonos ac modos audiendo uoluptatẽ capiũt, nõ possũt ubi eos audiuerint, sermonibus, uerbi gratia, & collocutionibus oblectari: fuerint uoluptates uoluptatũ corruptrices. Si autẽ sunt uoluptates uoluptatis corruptrices, nõ fuerint unius speciei. Sed nec ita se habẽt, ut cõtraria se habẽt ad contraria. Non enim sicut eadẽ sanitas ijs accedit & qui eodem modo, & qui diuerso curãtur: & nihil uetat, quo minus eandẽ sanitatẽ habeat, qui aliás aliter curatur: sic etiã habet in operationib. & quæ sunt in ipsis, uoluptatibus. Nõ enim fieri potest, ut, quę fit in aliqua alia actione uoluptas, fit etiam in alia. Quæ enim sunt in temperantibus actionibus uoluptates, eæ in intemperantibus nunquam esse poterunt.

Quòd iustitiæ & iniustitiæ, & uirtutis, ut semel dicam, & uitij est habitus quidam intermedius. 111

QVòd iustitiæ & iniustitię, & uirtutis, ut semel dicam, & uitij est habitus quidam intermedius, quem medium habitum dicimus. Si iustitia & iniustitia sunt, ut ipsi uolunt, affectiones, seu dispositiones: non

possunt autem eæ affectiones, seu dispositiones amitti; ex iniusto non posit fieri quispiã iustus, nec iniustus ex iusto: fiunt autẽ aliqui iusti & iniusti, qui prius nõ fuerant: ex aliqua ergo alia constitutione facti fuerint. Atqui quicquid fit, uel fit ex cõtrario, uel ex aliquo quod inter contraria intercedit. Non fiũt autem ex contrario. Fiunt ergo ex eo quod intercedit. Ex qua autem constitutione iusti & iniusti fiunt, ea inter iustitiam fuerit & iniustitiam. Eadem autem est ratio in omni uirtute & uitio. Si autem dixerint, uitia quidem esse affectiones seu dispositiones: eas autẽ amitti non posse, sed nihil uetare quominus mutentur quidam ex iniustitia in iustitiam, & in summa, ex uitio in uirtutem: sed in uitiũ quidem undénam mutari possunt? Vel enim in hominis natura uitium esse oportet, & omnes nasci malos: & fuerit uitium secundũ naturam hominibus. Cuius autem contrarium est alicui secundum naturam, ei est cõtrarium præter naturam. Præter naturam ergo est hominibus iustitia & uirtus. Si autem ita est, absurdum est utique, iniustum iustum fieri, sicut fit iustus. Ex quo autem habitu in iniustitiam fit mutatio, is fuerit medius. Si autem dicant, pueros nondum esse ratione præditos: quare nec iustos, nec iniustos. Hi enim sunt eius quod est ratione præditum, habitus. Sed si sunt

sunt eius quod ratione præditum, habitus: nõ etiam medius. Quare puer cum non sit ratione præditus, nec est in uirtute, nec in uitio, nec in eo quod inter ea intercedit: sicut nec ullum aliud eorum quæ rationẽ non habẽt. Cùm primũ autẽ mutati sunt, ad hoc ut sint ratione prædití, protinus nati sunt. Sed per hæc confeßi fuerint, nõ esse ei quod est ratione prǽditum, secundum naturam, iniustitiam & uitium: siquidem in ea quæ fit in rationalẽ facultatem, mutatione, simul & eadem fiunt: & ad rationalem facultatem mutari, ei æquiualet quod est, mutari in uitiũ. Ei ergo quod est ratione præditum, uirtus est præter naturam. Et præterea si est omnino ex uitio in uirtutem mutatio, uitiũ uel motu facile, & quod bene amitti poßit, dicent: uel stabile, & quod uix moueatur. Sed si est motu quidem facile, cur non est facilis ex uitio in uirtutes mutatio? Si autem uix moueri poßit, & sit stabile: clarum est, quòd in ea quę fit in uirtutem mutatione, ex ipso primum uitio oportet motus difficultatem & stabilitatem abijci: siquidem uel per doctrinam, uel per ad uirtutem exercitationem mutatur, & non repentè. Sed si fit quidem primum motu facile: uitij aũt suum esse in hoc est, quòd ægrè moueatur: in eo ꝙ est motu facile, non fuerit uitium. Atqui nec uirtus. Est ergo quodammodo in aliquo me

dio habitu, qui sic habet, quoniã mutatio in uirtutẽ fit ex tali affectiõe seu dispositiõe. Prę terea autẽ & si maximè pueri nõdũ sunt ratiõ ne prędití, & propterea uirtutẽ nõ habẽt, nec uitiũ: tamẽ quòd ex ratiõis hoc modo expertib. ratione prędití & mali fiũt, in medio habitu fuerint. Nõ sunt enim ij ratiõe similiter carẽtes, ut alia ratiõe carẽtia. neq; enim alioqui posśẽt uirtutẽ & uitium suscipere. Si aũt cùm neutrũ habeãt, posśint utrũq; suscipere: sic nõ sunt ratiõis expertes. Quod aũt sic est ratiõis expers, ut posśit tamẽ rationẽ suscipere, aliter est expers ratiõis, quàm ꝙ eam nõ potest susci pere, ꝙ est propriè expers rationis. Eius ergo ꝙ ita est expers ratiõis, fuerit medius habitus. Ad utrũq; enim cõtrariorũ occurrit mutatio: & sic est utrũq; extremorũ potẽtia, ut nullũ sit actu. est enim etiã in puero quędã cõstitutio, & quidã habitus, ex quo fit in uitiũ & uirtutẽ mutatio: qui quidẽ habitus in nullo eorum quæ propriè & simpliciter expertia rationis dicuntur, inest.

Solutio dubitationis, quæ dicit instrumento nihil esse cõtrariũ: esse aũt diuitijs contrariã paupertatem: & ideò non esse diuitias instrumentum. IIII

INstrumẽto nihil est cõtrarium: diuitijs aũt est aliquid cõtrariũ: nõ sunt itaq; diuitię instru-

strumentũ. Si sumat quidẽ generaliter, instrumento nihil esse cõtrariũ, nõ est concedendũ, quia etiã diuitijs, quę sunt ĩstrumẽtũ, aliquid esse uidetur cõtrariũ. Si aũt indefinitè et singulariter sumat: ostendendũ est nõ esse syllogismũ. fiũt enim ambę propositiões singulares. Tũc enim necessariò omnino sumeretur, non esse instrumẽto aliquod contrariũ, si in instrumẽti ratiõe & substãtia apertũ esset nihil esse ei cõtrariũ. Si aũt in instrumẽti substãtia non est, nõ esse ipsi aliq̃d contrariũ, sed est accidẽs: nihil uetat, quominus id nõ omnib. accidat. Neq; enim quia multis eorũ quę finita sũt, in est ut ad aliquid finiãtur, hoc iã inest etiã omnibus. Instrumentũ quidẽ esse per q; uel solũ aliquid, uel pulcherrimè fit, si est in instrumẽti substãtia: omnia fuerint instrumẽta quibus hoc inest, & hoc fuerit in omnib. instrumẽtis. Quare quoniã hoc inest diuitijs: per eas enim fiũt quę ex liberalitate & magnificẽtia à uiro bono fiũt, operatiões: eæ fuerint uiro bono instrumentũ. Ab ijs enim quæ sunt in instrumẽti substãtia, fit in instrumẽtis, sicut & in alijs omnibus, iudiciũ: nõ aũt ab accidẽtibus. Ostenderit aũt quispiam, & q; neutra propositionũ rectè sumpta est, nec quæ sumit instrumento nihil esse contrariũ, nec quæ dicit diuitijs esse aliquid contrariũ. Si enim co quòd toti, & ei q; ex utroq;, materia scilicet & forma

com-

compositum est, nihil sit contrarium, contrariũ nihil est instrumento. eam ob causam nec serræ, nec citharæ quis esse dixerit aliquid cõtrarium: nec igni, ex sententia eius qui sic dicit, fuerit contrarium aliquid: nec ulli alij ex utrisq; compositæ substantiæ: quòd materiæ, quæ omnibus eiusmodi substrata & subiecta est, nihil sit contrarium. Si autem propter affectiones & qualitates est contrarietas: igni enim propter qualitatem & siccitatem sunt aliqua contraria, & asciæ, si sumptæ fuerint qualitates, per quas ei suum esse est, per eas inueniet ipsi contrarietatem aliquam. Nam acuto quidem obtusum contrarium, graui autẽ leue. Ei autem grauitate & acumine opus est. Eadem autem est & in alijs instrumẽtis ratio. Sed nec diuitijs rectè sumptũ est esse aliquid contrarium. Paupertas enim non est diuitijs contrarium, sed est diuitiarum absentia & priuatio. Sanitas autem non ut instrumentũ bonum est, sed ut corporis uirtus, ex quo & anima homo est. Si quis autẽ dicat eiusmodi priuationem, ex qua fieri posśit habitus, rursus esse contrarium: is omnibus quæ sunt in generatione, dicit esse aliquid contrarium, non solis instrumentis. Est enim in omnibus eiusmodi priuatio.

Dubitatio, quòd communis uoluptas, quæ ut genus sumitur, nec bonum, nec malum est, nec indifferens. V

SI communis uoluptas quæ ut genus accipitur, nec est bonum, nec malum, quòd eius alia quidem est bonum, alia uerò malū: commune enim nō est aliquid unum eorum quæ sunt sub genere: nec erit etiā indifferens: siquidem sunt quædam etiam indifferentes uoluptates, sicut & aliæ quidem bonę, alię uerò malæ. Eadem autem quæsiuerit quispiam etiam in operationibus, quarum sunt fines quodammodo uoluptates, & ideo unà cum ipsis diuiduntur. Si enim operationum aliæ sunt bonæ, aliæ uerò malæ, aliæ indifferētes: communis, & quæ ut genus sumitur, operatio, nec bonum, nec malum erit, nec indifferens. Atqui quidquid est, uel bonum esse necesse est, uel malum, uel indifferens. An quidquid est quidem in subsistentia, & per se esse potest? Si sit autem cōmune aliquid, sub quo hęc sunt omnia: illud eorum aliquid amplius utiq; esse non potest, quòd omnia sub se habeat. Neq; enim quoniā omne animal, quod subsistit, est ratione præditum, uel rationis expers: propterea etiam commune; quod ut genus de ijs quæ subsistunt prædicatur, in utrouis horum erit. Neq; ergo communis uoluptas,

ptas,nec communis actio,erũt uel bona, uel mala,uel indifferentia, cùm omnis uoluptas & actio quæ subsistit,horum aliquid habeat. Quoniam autem uoluptates cum ijs actionibus,in quibus fiunt,simul diuiduntur:& quę accedunt quidem & sequuntur bonas actiones,bonæ:quæ malas uerò,malæ: indifferentes autẽ, quæ indifferentes: quæ fuerit quispiam,quomodo fit in ægritudine & molestia & dolore dicendum, quoniam hęc sunt uoluptati cõtraria. Si quis enim dicat, dolorẽ unà cum actionibus,in quibus fit, diuidi: primũ quidem quomodo fiet diuisio,utrum eos dicemus qui in bonis quidem fiũt actionibus, bonos:qui uerò in malis,malos:qui in indifferẽtibus autem,indifferentes? An absurdum est dicere eũ in bono esse, qui ob malas, quas operatur,operationes,dolore afficitur? est enim in malo is,qui est eiusmodi. Quomodo enim non est in malo,qui est in talibus operationibus? Deinde uoluptas quidẽ iure cũ ijs, in quib. est,operationib.unà diuiditur:quoniã propter necessitudinẽ & affinitatẽ, quę ei cũ ipsis intercedit, fiebat, & erat ipsarũ ueluti quidã finis. Dolor autẽ est abalienationis signũ, eorum in quibus est. An rationi consentaneũ est,eũ qui in bonis fit operationibus,esse malũ, quòd sit à bonis alienus: & propterea eũ qui est in malis, bonũ, quia est à malis alienus:

nus:& quia qui talẽ dicit dolorẽ, bonum, nõ eas statuit operatiões,in quib.fit, esse bonas: sed eam quę est ab huiusmodi operationibus uel circũstantijs,uel fortunis alienationẽ? An est omnino absurdũ sic dolorẽ diuidere? Videtur enim dolor suapte natura ijs esse malũ, qui eum habent.Sed si dolor malũ est: quod autem est malo cõtrariũ, est uel bonũ,uel malum: oportebit & uoluptatẽ, quæ est dolori contrariũ,esse uel bonũ uel malũ. Inuẽta aũt est nec omnis esse bonũ, nec omnis malũ. Erat aũt etiam aliqua indifferẽs. Nũquid ergo bona sic erit dolori contraria,ut malũ bono: mala aũt,ut malũ malo? Sed si ita est, quid de indifferenti dicendũ est? Indifferẽtibus enim operationib.fiebat,quæ dolori nõ erit cõtraria.Sic enim erũt malo nõ solum bonũ & malum cõtraria,sed etiã indifferẽs: quod non uidetur.An oportet uoluptatũ generaliter diuisione facta,accipere aliquas quidẽ ipsarũ esse secundũ naturã ijs qui delectãtur, alias uerò prę̨ter naturã? Secundũ naturã quidẽ eas quę fiũt in operationib.quę sunt secundũ naturã: prę̨ter naturã aũt, quarum sunt etiã operationes eiusmodi. Vnicuique enim animali sunt propriæ quędam,& secundum ipsorũ naturã operationes.Sunt enim quædã hominis operationes,quę secundũ hominis naturã fiũt: et equi,secundũ equi naturã: & canis, secundũ canis:

canis: & aliorũ animaliũ similiter. quorũ etiã secundũ naturã uoluptates, easdẽ quoq; cũ il lis dicere oportet: quæ aũt sunt in ijs quæ ab aliquibus præter propriam ipsorũ naturam fiunt, operationibus, præter naturam: quare etiam æquiuocas illas, quarum eas quidem quæ sunt singulis secundum naturam, etiam esse propriè uoluptates dicẽdum est. quę sunt autem præter naturam, sic quoq; easdem esse ijs qui illis fruuntur. Quemadmodum & salubria hęc quidem simpliciter: illa uerò hisce, & quæ sunt quidem ueræ & proprię uoluptates, eas quoq; ijs esse bonas, qui illis fruuntur, dicendum est: quæ autem fiunt nõnullis præter naturam, cùm non sint simpliciter uoluptates, eas esse prętet naturam & malas. Si itaque maximè homo, & qui secũdum naturam maximè se habet, uir bonus est: homini quoque secundum naturam maximè fuerint uõluptates, quæ ei uidentur: & iucunda, quibus is delectatur. Quæ autem ei grauia & iniucũda, ea & præter naturam, & nõ simpliciter iucunda, etiamsi eis aliqui delectentur. Fuerit etiam discrimen inter eas, quæ sunt unicuiq; secundum naturam, quod earum aliæ quidẽ sunt magis, aliæ uerò minus proprię. Sic autẽ fuerit dolori, qui est malum, quæ est propriè & simpliciter uoluptas, contraria: quæ uniuersa, bonum est, & si non similiter. Quæ autem

tem præter naturam, nec uoluptates simplici ter, nec bonæ. Fuerint autem etiam in indifferentibus tales. Nec enim indifferentia sunt in ijs quę sunt secundum naturam. Est autem uoluptati contrarium dolor, sed non labor. siquidem labor corporalem aliquam significat afflictionem & molestiam ac dolorē, sed nō dolorem simpliciter. Molestia autem seu dolor qui est uniuersalis, talem animæ affectionem ac dispositionē significat, siue in corporali afflictione, siue in aliqua animæ affectione & constitutione fiat: sicut & uoluptas non solum est corporea, sed etiam animalis. Communi ergo uoluptati dolor communis contrarium existens, & in ijs quæ sunt præter naturam operationibus uoluptas, corrumpens eam quæ in ijs est quæ sunt secundū naturam uoluptatem, nō secus ac proprius dolor, fuerit & ipsa contrarium, ut malum malo: ut excessus enim defectui. ut sit omnis quidem dolor, malum: uoluptatum autem quę sunt quidem secundum naturam, & propriè uoluptates, sunt ut bona doloribus contraria: quæ sunt autem præter naturam, ut malum, malo.

Quòd uoluptati dolor est contrarium, non labor. VI.

LAbor enim corporalem quandam afflictionem designat. Dolor autē animæ,

contractionē. Si itaq; uniuersa quidē uoluptas esset in relaxatione et solutione corporis, esset ei contrarius labor. Sed quia est uoluptas quædam relaxatio ac solutio animæ, quæ nec per corpus, nec in solo fit corpore: eiusmodi uoluptati nō fuerit labor contrariū, sed dolor. Dolor enim est etiā in corporis afflictionibus, & ipsius in se animæ, sicut & uoluptas. Labor aūt in corpore solū. Quare fuerit quidē simpliciter dolor uoluptati contrariū: alicui aūt uoluptati, qui est ut labor. Corporeæ enim solutioni, & corporis firmitati, & ei quę est ob eas causas uoluptati, fuerit corporis afflictio & dolor cōtrarius. Qui aūt in anima labor dicitur, ut laboriosi nōnulli & laboris amantes dicūtur, cum nec sit ab initio uoluptati contrarius, fit utique cum uoluptate. Si quis autem eo quòd laboret, molestia ac dolore afficitur: dolor, nō labor fuerit uoluptati contrariū. Cùm sit aūt dolor uoluptati contrarius: omnis quidē dolor malū meritò dicetur. Est enim sua natura fugiendus. Non est aūt omnis uoluptas bonū. Sed quæcunq; quidē actiones, in quib. cōsistit uoluptas, modum exuperant, excessum quoq; & exuperationē habebunt, similiter quæ sunt in eis uoluptates. Tales aūt sunt, quę sunt corporales. Quare earum moderatæ quidem sunt eligendæ, quales sunt quæ circa ea uersantur, quæ
sunt

sunt corpori necessaria. Quæ modũ aũt excedunt, sunt fugiendæ, quales sunt intemperantium. Et in ijs fuerit etiam ægritudo & dolor malum, ut quidã defectus: & immodica uoluptas, ut quidam excessus. Moderata autem bonũ, ut quę sit quodammodo in medio prędictorum. Quarum autem non est uoluptatum excessus, (tales autẽ sunt, quæ in ijs operationibus fiunt, quarum q̃d est eligẽdum, ex accessione & additione augetur, cuiusmodi sunt quæ ex uirtutibus fiunt) in ijs nec operationũ nec uoluptatũ erit excessus. Quare eiusmodi sunt uirtutes, & bonæ sua natura oẽs.

Cur si dolor omnis sua natura malum est, non omnis etiam uoluptas sua natura bonum est VII

Cur si dolor omnis sua natura malũ est, non etiam omnis uoluptas sua natura bonum est? Vel enim omnẽ etiam oportebat uoluptatem malum esse, ut quæ esset dolori contrarium, ut malum malo: uel si non ut fugiendum, & malum, uoluptas, sed ut bonũ malo opponitur, omnẽ esse bonũ. Si sit enim aliqua uoluptas malũ: fuerit dolorũ, qui oẽs mali sũt, uoluptas quę est dolori cõtraria, hęc quidẽ, ut malum malo, cõtraria: illa uerò, ut bonum malo. An non omnis dolor & labor malum est? siquidem in ijs quoq; uirtus, ad id

q̃d est medium, tanquam scopum, dirigitur. Et sunt quædam molestiæ ac labores, qui uiro bono conueniunt. fuerit autem labor dolore quid communius. est enim quispiam labor, dolor. Etenim sicut uoluptas operationes & actiones sequens, & earum quodãmodo pars uel finis existens, ab illis habet id q̃d est eligendũ, uel fugiendum : eligendæ enim sunt, quæ in eligendis sunt operationibus: fugiendæ autem quæ non sunt in eiusmodi : sic rationi cõsentaneum est existimare, & dolores qui in aliquibus fiunt operationibus, ab illis quoq; quod eligẽdum & fugiendum est, sumere contrario uoluptatibus modo. Qui enim in honestis sunt actionibus, esse fugiendos. Qui autem in turpibus, eligendos. Si autem sunt dolores aliqui & labores eligendi: fuerint etiam uoluptates fugiendæ, quæ sunt his doloribus contrariȩ. Sunt autem contrariæ doloribus uoluptates, quæ in huiusmodi fiunt operationibus. Quocirca nõ est omnis uoluptas bonum, quia nec omnis dolor malum. Dici autẽ etiã nõ posset tale quid, quod nec ijs quidem qui omnem esse dolorem malum ponunt, sequi necesse est, uel omnem uoluptatem esse bonum, uel omnem, malum, hoc etiam posito, quod dolor sit contrarius uoluptati. In quibus enim uoluptatibus sunt quidam excessus, in ijs sunt uoluptates quædam

dam eligendæ: quædam uerò fugiendæ. Mediæ enim eligendæ. Quæ autem sunt in eo ꝙ modum excedunt, malæ. Hoc autem habent corporeæ uoluptates. In quibus autem excessus ac exuperationes non sunt, quòd quæ in ipsis amplius fiunt, in eo q̃d est expectandum, maneant, eæ sunt omnes eligendæ: cuiusmodi sunt quę sunt in operationibus, quę per cõtemplationem fiunt. Sunt autem quædam etiam præter naturã uoluptates, cuiusmodi sunt beluinæ, et ægrotantiũ hominum uoluptates. De quibus in septimo moralium dictum est: quæ nec hominis propriè dicantur uoluptates, quòd non sunt secundum naturam, nec eligendę. Sic se autem habentibus uoluptatibus, omnib. quidem erit dolor contrarium, ut malum, quòd positũ sit, omnem esse dolorem malum. Quæcunq; autem uoluptates sunt quidem præter naturam, eæ ut malum malo erunt dolori contrariæ, si quis eas etiam inter uoluptates enumeret. Quæcunq; autem habent excessum, in iis alię quidem erunt ut bonum dolori contrariæ, quæ sunt in medietate, & sunt recta ratione definitæ: aliæ autem per quæ in exuperatione excessuq; uersantur, in quib. sunt intemperantium uoluptates, eæ ut malum malo. Quarum autem nõest excessus, eæ fuerint omnes, ut bonum malo, dolori contrariæ.

Quòd uirtus nec genus, nec totum. VIII

QVòd uirtus nec genus, nec totũ. Nõ genus quidẽ, ꝙ genus cũ una perempta specie nõ ſimul perimitur. Virtus autẽ cùm una ſimùl perimitur. Siue enim uirtutes ſe inuicẽ ſequũtur una earũ, quęcũq; ea ſit, ſublata, tollitur & uirtus: & ſic erit una ex ſpeciebus, quę alias quoq; ſpecies ſimul perimet, q̃d nec ipſum rectũ eſſe uidetur. ſiue nõ ſe inuicẽ ſequũtur, ſublata prudentia, tollatur etiã uirtus, ꝙ illud, nẽpe per rectã rationẽ fieri, ſit in omnibus. Recta aũt ratio à prudentia. Totũ aũt nõ fuerit uirtus, ꝙ pars nõ admittit rationẽ totius in diſſimilaribus. Differunt aũt à ſe inuicẽ uirtutes, & uirtutis rationẽ ſuſcipiũt. An in quib. eſt hoc quidẽ primũ, illud uerò ſecundũ, ut ſublato primo tollatur & cõmune, & alia quę ſunt poſt ipſum, ea ſunt ex iis quæ multis modis dicũtur? Quare ſi etiã uirtus una aliqua ſublata tollatur, fuerit etiã ipſa eorũ quę ſic dicũtur. An potius dicendũ eſt, eam quę uni uerè uidetur de uirtutibus prędicari, definitionẽ, eſſe cõmuniorẽ, & nõ totius uirtutis propriã, cuius hę ſunt partes? Fuerit aũt illius definitio, Totius rationalis animę habitus optimus. quę definitio unicuiq; uirtuti cõuenit. Videtur aũt etiã Ariſtoteles aliquid totum dicere, perfectã uirtutẽ: ſed nõ genus. De hac autẽ dubitatione etiam in poſterioribus dictum eſt.

Quòd non omnes qui peccant, eo quòd mala esse & noxia, quæ agunt, nesciant, peccant. IX

QVòd non oẽs qui peccant, eo ꝙ quę agũt, mala esse & noxia nesciãt, peccẽt, ex ijs manifestũ est, qui se peccare sibi persuaserunt, propter mollitiẽ tamen & ignauiam non resistunt. Quorũ sunt & qui ęgrotant, & qui quæ sibi incõmodant, faciũt, nõ ignorantes cuiusmodi ea sint. Quia enim nõ ignorãt, & seipsos reprehendunt, & eos qui nõ similia peccant, implorant, & dijs uota faciũt ut meliorẽ sibi dent mentẽ. In quib. etiã sunt qui amant: in quorũ potestate si esset, & amare & amorẽ deponere, lubẽtes ab amore cessarẽt. Sed & ex ijs qui peccare incipiũt, clarũ est. Nemo enim eorũ mala, mala esse ignorãs, ad ea à principio accedit. Omnes itaqꝫ incipientes erubescũt, & latêre cupiunt, et nõ tanquã etiã iterũ similia facturi ad ea accedũt, persuasi fore quidem ut ab eis lædãtur, sed uoluptati cedentes, nõ ꝙ eam esse magis eligendã credãt, sed q̃d nolint paruo labore suscepto, ei resistere. Quòd aũt hanc de malis anticipatã notionẽ habeant, ut qualia sint possint intelligere, primã quidẽ naturã causã habent. Neqꝫ enim sunt eiusmodi, ut nihil de meliorib. mẽte agitauerint, & appetitõe omnino peruersa sint,

ſed cõmunes & naturales ſeruant animi conceptiones. Quòd enim uniuſcuiuſq; natura tendit ad meliora, ex hoc clarũ eſt, quòd qui ſunt in peccatis, eos utiq; laudant qui nõ peccant, & qui peccant, ſuos liberos non ad eadẽ deducunt. Sufficit autem & communis fama, & hominum anticipata notio, ad oſtendendum, qualis & quanta ſit malorum abſurditas. Sed & leges hæc edicentes, ad meliora docenda ſufficiunt. Præterea autem magiſtri & pædagogi omnes communiter mala fugere adhortantes, non concedunt ut adoleſcẽtes de melioribus nihil mente conceperint. Et q̃ nõ propter quidem malorum ignorantiam peccata ſunt, ex his & ijs quæ ſunt, planũ eſt. Quòd autem nec mala ui faciũt, ex hoc apertum eſt, quòd ipſi ſunt qui hæc agunt, & conuenienter ſuæ appetitioni ad eiuſmodi actiones inſtrumentarias partes moueant, de ipſis conſultantes, & eas eligentes. Si enim ij qui eligunt, coguntur: qui nam fuerint, qui non coguntur? Si autem qui ſunt in peccatorũ habitu, nec mala agentes erubeſcunt, leges autem contemnunt, mala non eſſe mala exiſtimantes: id nihil ad hoc ut ea ſint inuoluntaria. Vt enim in hoc eſſent habitu, ut mala nõ eſſe exiſtimarent, ipſi ſibi cauſæ & autores fuerunt: ſi quidem cùm in eorum eſſet poteſtate ea non agere, tales euaſerunt, cùm ſibi non

caue-

cauerint. Si autem eis peccare incipientibus, non uisa sunt mala utilia & eligenda: cùm autem processerint, & propter suam negligentiam in peccatorum habitu fuerint, ea eligenda uidentur: ipsi sunt sibi talis existimationis autores, cùm talis sibi habitus causæ fuerunt, per quem tales habent de malis opiniones. His adstipulatur, quòd odio habeãtur & supplicio afficiantur qui sic peccant, ut qui sua sponte peccẽt, & sint ipsi sibi talium actionũ autores, cum qui non sponte tale quid agũt, ueniam assequantur. Cur enim si omnia sunt inuoluntaria, eorum quidem alia condonantur, alia uerò non? Si enim quod in eorum erat potestate, cùm qualia sint, didicerint, ab eis abstinere, si hoc quidem scientes, eius nullam curam gesserunt, ij rursus sibi eius autores fuerint, & id sponte fecerint. Si autem hoc quoque ignorauerunt: quomodo non & ij sunt etiam uenia digni? Est autem argumentum sufficiens, quòd nec ui, nec propter meliorum ignorantiam quidam peccẽt peccantes, quòd nec se peccasse ægreferant, nec peccatorum pœnitentia ducantur. Quæ enim à nobis non sponte fiunt, ea nos malè habent, & pœnitentia percellunt. Quòd autem si inuoluntaria essent peccata, nec in nostra quidem essent potestate, ex hoc apertũ est, quòd inuoluntaria quidem sunt, quæ ui fiunt. Quę

autem per iram uel cupiditatẽ peccant, dicũt eos ui facere qui faciũt. Quare quę per irã uel cupiditatẽ peccantur, ea nõ sunt in nostra potestate. Si aũt supplicia sunt in ijs quæ sunt in nostra potestate, qui per iram uel cupiditatẽ peccant, nõ iure supplicio afficiẽtur. Quęcũq; aũt per ignorantiã peccantur, ea si ipsi quidẽ sint sibi ignorantiæ causa qui peccãt, in eorũ potestate fuerint. fuerint autem ipsi sibi causa ignorantiæ, si cũ eis liceret ad meliora cõuersis non esse in tali habitu, per quem bona sint ignoraturi, id neglexerint. Atqui nõ eis aliter licebat ad meliora conuerti, quàm si aliquas haberent de bonis existimationes, ꝙ ea sint eiusmodi. Si enim mala eis bonorũ opinionẽ repressissent & elisissent, in eorũ potestate nõ esset ea nõ eligere. Atqui de bonis, ut bonis, existimationẽ habentes, deinde nõ eligentes ea, spõte peccarẽt. Neq; enim per uim, nec per ignorantiã, meliorum electionẽ negligerẽt. Quare quemadmodũ est in eorum potestate peccare, ita etiam uoluntariũ. Si autem ipsi sibi non essent autores ignorantiæ, nec esset in eorum potestate per ignorãtiam peccare: sic aũt nullus eorũ qui peccarent, iustè suppli cio afficeretur: siquidem supplicia quidẽ sunt ob eã quæ sunt in nostra potestate: nihil autẽ ꝗd peccatur est in nostra potestate, si est inuo luntarium: quidquid aũt est inuoluntariũ, fit per ignorantiam, uel ui.

Quòd homo est uirtutum gratia, sed non contrà. X

SI in ijs quę natura fiunt, est aliquid, cuius gratia ea fiunt quæ sic fiunt: id aũt, cuius gratia quædam fiunt, est finis illorum in ijs quæ natura fiũt. Atqui finis ijs, quæ finis gratia fiunt, est melior. Quare eorum quæ natura fiunt, fines sunt illis meliores, quorum gratia fiunt. Est aũt & homo ex ijs quę natura fiunt. Quare aliquis etiam ei finis est, isq; est ijs quę ad ipsum sunt, melior. Hominis aũt finis est, ut fiat uir bonus, & eius gratia homo est. Bonum autem fieri, est hominis habere uirtutes. Atqui fieri nõ potest, ut homo uirtutes habeat, nisi primò homo fiat homo. Est ergo homo uirtutũ possidendarum gratia: sed nõ uirtutes hominis. Quare melior est homo qui uirtutes possidet, eo qui est sine illis. Nõ enim uirtutes fiunt: eas enim non possidemus, ut fundum, mancipiũ uel domum: sed uniuscuiusq; uirtutũ generatio est in possessione ipsarum. Si autem generatio ipsarum est in possessione, ipsis quoq; in eo esse est. Est autem finis nobis ipsarum possessio. Fuerint ergo uirtutes finis noster, & nos earum gratia. Quare nobis etiam sunt meliores uirtutes, eo quòd finis noster est in uirtutum præsentia, & earum possessione.

Quòd

Quòd non est multis modis inuoluntarium, quia est ui, & per ignorantiam XI.

QVemadmodum nõ dicitur multis modis animal, quia hoc quidem est rationis particeps, illud uerò, rationis expers: sed nec uitium multis modis, quia hoc quidẽ est per excessum, illud uerò per defectum: sic nec inuoluntarium multis modis: quia eius hoc quidẽ est ui, illud uerò per ignorantiã. Sunt enim hæc partes uel species inuoluntarij. Si autem etiam est multis modis inuoluntariũ, nõ reprehendetur propterea locus, qui uult, si alterum sit multiplex contrariũ, esse quoq; alterum multiplex. Nõ est autem multis modis uoluntarium, cùm inuoluntarium ei contrarium multis modis dicatur. Neq; enim uitiũ multis modis, quia est hoc quidem in excessu, illud uerò in defectu: est enim aliquid alicuius uitium in speciebus, excessu & defectu: & sicut utrunq; est uitium, & quod est in excessu, & quod est in defectu. Neq; enim fieri potest, ut simul per utrunq; malum sit: nec tamem uirtus etiam est duplex, utriq; uitiorũ seorsum opposita. Non enim ad uirtutem satis est, non esse in excessu: uel rursus non esse in defectu: sed opus est, si uirtus futura sit, ut in neutro eorũ sit: sic & uoluntariũ in utrisq; eorum,

eorum, in quibus uoluntario suum esse est, oppositione, simul esse habet. Oportet enim eum qui sponte & uoluntariè aliquid facit, & eorum quæ aguntur, habere principium, & adhuc scire eorũ singula. Quorum illud quidem ut fieri perimit, hoc uerò per ignorantiam. Quare utriusq; simul inuoluntarij partibus opponitur uolũtarium, cùm illa nec simul quidem esse possint. Non enim fieri potest, ut qui aliquid ui facit, uel patitur, etiam singula ignorans peccet. Nihil enim ad hoc ut inuiti faciant, qui ab aliquibus coguntur, confert ignorantia & cognitio singulorum. Non euertitur autem locus, nec ex hoc quòd φιλεῖν quidem, quod Græcè & amare & osculari significat, multis modis dicatur: μισεῖν autem, id est odisse, quod est eius contrarium, non utiq; dicatur multis modis. Si enim illud μισεῖν, id est odio habere, esset omni eius q̃d est φιλεῖν, significato contrarium, & non multis modis diceretur, euerteretur locus. Si autem odio habere, est illi soli eius, q̃d est φιλεῖν significato, quo amare denotat, contrarium, & non ei quod osculari, nõ reprehenditur locus. Tunc enim reprehenderetur, si cuilibet eius significato, quod multis modis dicitur, contrarium existens aliquid, nõ diceretur itidem ipsum multis quoq; modis. Albo enim, quod multis modis dicitur, nigrum contrarium

rium multis modis dicitur, quòd omnibus, quę ab albo significantur, est contrariũ. Nam & albo quod est in colore, & quod est in uoce, est nigrum contrarium. Adeò, ut si esset alteri ipsorum solum contrariũ, nec ipsum quidem diceretur multis.

Locus ex tertio Magnorum moralium. XII

VIdetur utique uiolentum esse, cuius principiũ extrà est, eo cui uis affertur, nihil penitus cõferente. Quòd nihil quidem confert agens uel patiens, dixit superius, pro eo quod est, coactus, uel cui uis affertur: per hoc autem quod nũc dictum est, idem ostendit rursus assumens, & non amplius dicens, Eo nihil conferente, qui agit uel patitur: sed pro ijs dicens, eo cui uis affertur. Aliquando enim agere dicimus: aliquando uerò pati. Nam et coactus fecit, et ui passus est, dicimus. Principium autem exterius esse dixerit, in ijs, quibus uis affertur, agens. Finalis enim, & cuius gratia causa foris existens, est in omnibus quæ aguntur: siquidem quicunq; agit, alicuius gratia agit, quod agit, quod quidem extra ipsum est. Præterea autem nec in ijs qui ui aliquid agunt aut patiuntur, fuerit causa quę est ut finis. Non enim is cui ab aliquo uis affertur,

fertur, finem habet aliquem sibi propositum, cuius gratia ab eo qui uim affert, cogitur. Ei enim qui alicui uim infert, & hoc agit, est aliquis finis propositus, & propterea eum cogit: sibi autem nullus. Violenta autem patientes, sunt ij quorum est exterius agens principium, nihil ad id quod fit, eo qui patitur, conferente & coadiuuante: ut ostendit id quod fit in ijs qui nauigant, quando à uento aliquo extrusi ac expulsi fuerint: & in uictoribus, & dominis, qui, quos uicerunt ducunt, quò sibi uidetur. Non si quis autem, cui ab aliquo uis affertur, instrumentariarum partium aliquam aliquo motu mouerit, qui ad id quod fit ui, aliquid opis attulerit, hic iam ad id quod fit ui, contulerit. Non enim si trusus ab aliquo motis tibijs in aliquem inciderit, uel etiam deiecerit, aliquid dicatur conferre ad id quod fit. Sed si propria quidem appetitione, incitationeq; ac proposito inductus, hoc fecerit, is demum contulerit. Si autem consueto & naturali tibiarum motu motus fuerit, non utique. Quod quidem etiam dixit Aristoteles per hoc, Principium enim mouendi instrumentarias partes in eiusmodi actionibus in ipso est. Qui enim suis manibus ex naue onera in mare propter periculum eijcit,
non

non quòd mouet manus, id lubens facit: sed quia hoc facere elegit, ita facit. Nõ ita autem ij quoq; qui propter uoluptatem aliquid faciunt, ui faciunt, quia & ij quæ faciũt, propter uoluptatem faciunt: sed non habent exterius id quod facit. Iucundum enim ut finis & scopus, causa est, sed nõ ut quod fit efficiens.

De uoluptate XIII.

Quòd propria est uoluptas actioni in qua existit, & quòd non est unius quidem speciei uoluptas omnis, numero tantũ alia ab alia differens: quæ autem uoluntatẽ efficiunt, differunt: sed sunt à se inuicem similiter differentes uoluptates, ut quæ sunt etiã earum efficientes apertè ostendit Aristoteles eo quòd ostendit proprias ijs in quibus existunt actionibus, uoluptates simul etiam augere actiones, in quibus fiunt. Quæ est enim in exercendis Geometricis uoluptas, eas etiã auget actiones quæ fiũt in geometria. & quę est in pulsando citharam, eas quæ fiunt in arte citharedica, ut quæ cum ijs affinitatem ac necessitudinem habeant, & à se inuicẽ itidem differant actionibus in quibus existunt. Si enim essent eædem uoluptates: non hæc quidẽ has, illa uerò illas actiones augeret. Quibus enim rem augere, & pecunias congerere statutum ac propositum est, ij per quas actiones id à se posse confici existimant, eas exercent,

cent,& eas magis,per quas melius: nempe q̃
fit unum & idem quod à diuerſis conficiatur
actionibus. Quare iĳdem etiam per diuerſas
actiones acquirūt pecunias: & nihilo magis
per hæc,quàm per illa, per quæ opes & diui-
tię parantur. Sed nō ſic in uoluptatibus. Non
enim tanquam ab omnibus uoluptatum ef-
ficientibus eadem accedat uoluptas, ea quæ-
runt,per quæ maximè fiat. ſed tanquam aliæ
ſint quę in diuerſis fiunt actionibus ,eas quæ
in his fiunt eligunt: & eas quidem certè quæ
ab illis abducunt actionibus,actiones & uo-
luptates ægreferunt, ut quæ ſibi propoſitis
uoluptatibus ſint impedimento, quòd actio
nes impediant in quibus illæ fiunt. Se enim
inuicem corrumpunt, ſicut actiones in qui-
bus ſunt uoluptates, ſic etiam quæ ſunt in ip
ſis uoluptates. Atqui ſi unius eſſent ſpeciei
uoluptates omnes , & actiones eligeremus
uoluptatū gratia, eæ eſſent actiones maximè
eligendæ, quæ ſunt maximè uoluptatis effe-
ctrices. Si autem nō ab ea quæ efficitur,uolu
ptate, actionum, quæ ſunt ipſarū effectrices,
fit iudicium: contrà autem ab actionibus uo
luptates iudicamus: nec propter uoluptates
id quod eſt expetēdum,actiones habuerint,
nec eiuſdem inter ſe inuicem ſpeciei fuerint.
Præterea ſi q̃d facimus in iĳs quæ nobis ſunt
moleſtæ, actionibus (eas enim exercere ceſ-

ſamus)hoc erga ipſas facimus,quãdo aliquibus alijs actionibus delectamur: clarum eſt, quòd actionibus ſunt propriæ, quæ fiunt in ipſis,uoluptates. Præterea ſi temperantibus quidem tnrpes actiones moleſtiam ac dolorem afferunt, uoluptatem autem modeſtę & honeſtæ: intemperantibus autẽ contrà: quæ ſunt ex rebus honeſtis, non fuerint eiuſdem ſpeciei cum his quæ ſunt ex turpibus.In pecunijs autem non ita habet. Non enim prudentibus quidem & temperantibus lenociniũm paupertatis cauſa eſt: improbis autem hominibus magnam uim opum & facultatum ſuppeditat: ſed etiam temperantibus parandarum diuitiarum eædem cauſæ & rationes fuerint,ſi eas exercere ſuſtineant. In uoluptatibus enim non ſolum turpes ſunt actiones fugiendæ,quia turpes ſunt: ſed præterea,quòd cum nullam ipſis uoluptatẽ afferant, eis quoque moleſtiæ & doloris cauſæ ſunt.

Quomodo ſeruabitur, ut ſit aliquid inter uoluptatem & dolorem. XIIII

QVomodo ſi uoluptas eſt actio, eius qui eſt ſecundum naturã habitus,quę impediri nõ poteſt, ut in ſeptimo Moralium ad Nicomachum dictum eſt: quæ autem impediuntur,moleſtiã & dolorem afferunt: poterit à uoluptate ſeparari doloris uacuitas, ſeu

ſeu indolentia? In quibus nam enim erit actionibus? Neque enim in ijs quæ impediri non poſſunt, nec in ijs quas impediti exercemus. Eadem autem dubitatio ſequitur ea quoq;, quę ab ipſo de uoluptate dicta ſunt, in ultimo libro, ubi dicit: Cùm autem ſenſus omnis in ſenſile operetur: perfectè autem is, qui rectè affectus eſt erga pulcherrimum eorum quæ ſub ſenſu ſita ſunt. Eiuſmodi autem maximè eſſe uidetur perfecta operatio. An autem ipſum dicas operari, uel id in quo eſt, nihil differt. In unoquoq; autem optima eſt operatio eius, quod optimè affectũ eſt ad id quod ſub ſe optimum eſt. Eadem autẽ & perfectiſsima fuerit, & iucundiſsima. Eſt enim in omni ſenſu uoluptas: ſimiliter autẽ & in cogitatione & contemplatione. Eſt autẽ iucundiſsima, quæ & perfectiſsima. Perfectiſsima autẽ eſt eius quod rectè habet, ad id quod eſt eorum quę ſub ſe ſunt præſtantiſſimũ. Ex his enim & ijs quę deinceps dicuntur, eadem dubitatio conſiſtit & manet. Atqui uidetur eis media quædam eſſe uoluptatis cõſtitutio, & doloris quæ primùm manet in operationibus. Si ſunt itaque uoluptates & dolores in ſenſuum & cogitationis & contemplationis actionibus, clarum eſt, quod ſi non adſint operationes quæ per hæc exiſtunt, in neutro eorum erimus. Quandoque autem nec per

ſenſus nec per contemplationem operamur, ut & in ſomnis, & in quiete quę eſt extra ſomnum. Deinde ſi in optimis operationibus eſt id quod eſt iucundiſsimum: ſunt artes optimæ operationes eorum qui optimè affecti ſunt, habituum, quando uerſantur circa ea quæ ſunt præſtantiſsima eorum quæ ſub ſe ſunt: clarum eſt, quòd niſi ambo ſic habeant, non utiq; iucundiſsimæ fuerint operationes. Licet ergo parũ diſceſſum fuerit ab eo quod eſt in utroq; optimũ, & de eo ſit aliquid detractum, adhuc iucundæ manſerint, etſi non iucundiſsimæ. Si autem adhuc magis remittantur & diminuantur, clarum eſt quòd ſine uoluptate & dolore operari poſsint, quæ utilitatis gratia fiunt, uiſiones, auditiones, olfactiones, & attrectationes, ut quæ alicuius cauendi uel cognoſcendi gratia fiunt. Quare clarum eſt, quòd nec id quod eſt moleſtum, nec quod iucundum, habent, ut ipſe dixit: declarãs, quales ſunt actiones medię, per ea quę adiecit, dicens: Quomodo ergo nemo continuè uoluptate afficitur, uel laborat? Nihil enim rerum humanarum poteſt continuè operari, nec ſit ergo uoluptas: ea enim operationem ſequitur. Nonnulla autem delectant noua exiſtentia: poſtea autem nõ ſimiliter, hanc ob cauſam. Primùm enim applicat ſe cogitatio, & attentè in ea ſuam operationẽ exercet.

Dein-

Deinde autem nō fit talis operatio, sed negligēs et remissa. Quare uoluptas etiam euanescit. In eiusmodi enim operationibus & uoluptatis hebetationibus, licet id quod est sine uoluptate, doloris uacuum inuenire. Quod autem quædam sentimus, nec uoluptate nec molestia affecti, in secundo etiam De anima dicit. De odoratu enim & odorabilibus ibidem loquens dicit: Homo enim malè odoratur, & odorabilium nihil sentit, præterquam molestum uel iucundum. Si enim malè, quoniam sola iucunda & molesta sentit: clarum est, quòd alijs sensibus, quibus non malè sentimus, ea etiam senserimus quæ non sunt iucunda, nec molesta: sed & si priuationes sensilium unoquoq; propriorū sensu sentimus, clarum est quòd eorum sensus nec cum uoluptate, nec cum dolore fuerit.

Quòd stultitia seu imprudentia est eorum ignorantia, quorum prudentia est scientia. XV

SI prudentia est agendorum & non agendorum scientia, fuerit etiam stultitia seu imprudentia eorundem ignorantia: & stulti ac imprudentes, qui aliquid eorum ignorāt, & in eis falsi sunt. si autem ita est, non omnes qui in aliquo fallūtur, stulti fuerint, eo quòd decipiantur. Non enim omnis cognitio uel

deceptio est eorum quę sunt agenda, uel non agenda. Non enim cognitio uel deceptio hac in re, nempe, an mundus sit talis uel talis figuræ, est rerum agendarum uel non agendarũ: nec ante hoc, an factus, uel non factus sit, uel finitus an infinitus, an unus uel infiniti: nec an astrorũ numerus sit par, uel impar: nec an mũdi sit id quod est suprà, & quod infrà: neq; omnino aliquid eorum quę ad cognitionem solam & contemplationem conferunt. Sed si quæ in ijs uersatur scientia, est alius uirtutis, & non prudentiæ. Similiter, & quæ est in eis deceptio, non stultitiæ, seu imprudentiæ: sed fuerit aliquod aliud uitium.

Quomodo si omnis dolor malum, non etiam omnis uoluptas bonum. XVI.

SI omnis dolor ac molestia malũ, est aũt dolori contrarium uoluptas: quomodo nõ ipsa quoq; omnis est bonũ, uel omnis malum? siquidem malo cõtrariũ necesse est esse bonũ, uel malum. An si unius quidẽ esset speciei omnis uoluptas, esset etiã omnis bonũ uel malum. sed si non ita habet: sed unà cum operationibus, in quibus fit diuiditur: quę enim in bonis operationibus fiũt, bonæ sunt, quæ in malis aũt, malæ: sicut & cupiditates. Bonorũ enim bonę, malorũ uerò malæ sunt: nihil

nihil uetabit,quominus dolori,qui malũ est, sint cõtrariæ uoluptates: hæ quidẽ ut bonæ, illæ uerò ut malæ: quæ ex ratione quidem & in bonis fiunt, ut bona: quæ uerò præter rectam rationẽ,& in malis fiunt,ut malæ: esset enim malo cõtrarium uel bonũ,uel malum. Labor aũt non omnis malum. Qui enim honestarum rerũ gratia perfertur, est eligẽdus. An dicendũ est similiter, & uoluptatẽ esse bonum,et dolorẽ malum? Voluptatẽ enim dixerit quispiã,omne bonum: uerũ eam quidem quæ per se et propria natura,quę est bonorũ: quæ enim sunt bonis bona ac mala,ea suapte sunt natura eiusmodi: eã aũt quæ huic bonũ est,ei qui ita se habet, & nõ per se & absolutè bonũ esse. Eiusmodi enim sũt improborũ uoluptates: illis enim bonę sunt & eligendæ,nõ aũt absolutè. Iã uerò dolores ac labores quidẽ,qui in ijs quę reuera mala sunt capiuntur, mali absolutè fuerint. Qui aũt in ijs quæ non sunt eiusmodi,illis mali,sed nõ absolutè. Erit aũt quãdoq; & bonus in hoc malo,ut in paupertate & morbo. Ea enim, propter quæ bonus molestia ac dolore afficietur, mala sunt.

Sub quo ex bonis sit uoluptas. XVII.

QVoniã bonorũ alia quidẽ sunt honorabilia,alia uerò laudabilia, alia aũt facultates,alia uerò utilia: quęsitũ est,sub q̃ eorũ

sit ponenda uoluptas. Si omnes quidem bonorum, & omnes unius & eiusdem sunt speciei uoluptates: de omni etiam quærendum est, & sub quo sint genere bonorum uniuersæ. Si autem non omnes sunt bonum, sed eæ demũ quæ eligendas actiones sequuntur: non est enim ipsa per se uoluptas, sed in aliqua fit operatione, & fit pro affinitate & necessitudine, quæ ei intercedit cum operatione. Non enim quę est in alia operatione uoluptas, eadẽ est cum ea quæ est in alia: sæpe itaq; corrumpunt eæ quæ ex alijs sunt actionibus uoluptates, illas quæ sunt ex alijs. Qui enim ea quæ ex tibiarum sono capitur, uoluptate delectatur, etsi aliquam fortè operationem iucundè exerceat, auditis tibijs, relicta operatiõe quæ iam ad manum erat, & quę ex ea capiebatur, uoluptate, ei qui tibia canit, animũ adhibet: utpote qui ea quæ ex sono capitur, uoluptate oblectetur, quæ est alia ab ea quæ ex ijs capitur quæ prius agebat. Si itaq; aliæ sunt quę in alijs & diuersis operationibus fiunt, & cum ijs operationibus, in quibus fiunt, habẽt affinitatẽ ac necessitudinem: clarum est, quòd unà quoq; cũ ipsis diuidantur: ut eligendorũ quidem, eligendæ sint: fugiendorum aũt, fugiendæ. Quare manifestum est, quòd illæ sub ea quoq; bonorũ specie fuerint, sub qua etiam actiones, quibuscum est eis necessitudo & affinitas.

finitas. Si sint enim laudabiliū operationes, ut sunt quæ sunt ex uirtute: erunt & ipsæ tales. Si autem sint bonorum, quæ sunt ut facultates, cuiusmodi sunt quę in nutritione & rebus uenereis uersantur, ipsæ quoq; in eadem bonorum regione fuerint.

Cur eos dixit importunissimos, & minime ferendos, qui in uoluptate finem statuunt, in primo Moralium Nicomachiorum. XVIII

AN ideo, quòd felicitatem in corporeis delectationibus fruendis ponunt, in quibus & mancipia & pecora, sunt importuni, & non ferendi? Quoniam quorum sententia sola est eligenda uoluptas, & labor ac dolor propter se fugiendus, eorum quoque opinione nec honestum est propter se eligendum nec turpe propter se fugiendum. Præterea si sola est eligenda uoluptas, sunt ea quoque quæ uoluptates efficiunt: quare illa quoque bona erunt. Et si quæ laborem efficiant, sunt fugienda, honesta autem aliquando laborem efficiunt: erūt aliqua honesta fugienda, cuiusmodi sunt quæ per fortitudinē fiūt, operationes. Præterea conuenienter eorum sententiæ, quibus nihil est sua natura honestum, nec turpe, (quædam autē eiusmodi apparent propter anticipatas hominum notio-

nes, propter quas quod non est suapte natura turpe, turpe ut malum fugimus, ad comparandas uoluptates nobis maximum incommodum afferret, quòd turpe cauentes, ab eis abstineremus: quod rationis expertium animantium nullum facit. Quamobrem male nobis cesserit, quòd sumus ratione prędita. Dicere autem, quòd nec ipsi turpes uoluptates uolumus eligere: si sic quidem propterea dixerint, quòd sit turpe propter se fugiendũ, rectè quidem dixerint: sed nõ amplius utiq; seruauerint, solum esse laborem ac dolorem propter se fugiendum. Si autem non propter ipsum turpe, sed quòd propter talia sint à legislatoribus mulctæ quædam ac pœnæ definitæ. Si rectè quidem, fuerint rursus turpia suapte natura mala. Si autem non rectè, hoc est dicere homines ex eo detrimento affici, quòd sint ratione præditi: siquidem per rationem, quæ non sunt mala, mala existimantes, per eas priuantur ijs quæ uerè bona sunt. Dicere autem quidquid eligimus, ut dulce nos eligere, & eo uti ad probandũ uoluptatẽ maximum bonum, non uerum est: siquidem eligimus unumquodq; eorũ quæ eligimus, uel ut honestum, uel ut utile, uel ut iucundũ. Dicere autem etiam utile iucundum esse, falsum est. Sæpe enim ipsum licet sit iniucundũ, eligimus. Et licet honesto accidat, ut quatenus ho-

nus honeſtũ eſt, iucundum ſit, ſed nõ quia eſt iucundũ, eligitur. Itaq; turpe quoq; licet ſit iucundũ, ſępe auerſamur et fugimus. Si hoc aũt propter turpitudinẽ fugimus, etiã iucundũ q̃q; propter honeſtũ elegerimus. Sed dicere nihil eſſe ſua natura honeſtum, nec turpe: ſed hęc propter anticipatas notiões ſic dici: et poſtulare per aliquã rationẽ eis honeſtũ oſtendi: perinde eſt, ac ſi quis rationẽ poſtulet, cur ſit albũ quidpiã. Nihil enim quod eſt ſua natura euidens, ea quę ſit ex rationibus probatione opus habet. Eſt aũt euidens omnibus qui hoc animæ oculo priuati non ſunt, quo hęc cognoſcuntur, eſſe aliquid honeſtũ et turpe. Quod aũt ex natura habemus, ut turpia & honeſta cognoſcamus, ex hoc manifeſtum eſt, quod turpibus nõ ſolũ quę fiunt, ſed etiã quæ dicuntur, erubeſcimus, tanquam aliquo modo affecti. Et hoc etiã uidere licet adhuc in infantibus & pueris. Nam & ij ſæpe erubeſcunt, ueluti ob quædã turpia.

Quod non ſunt unius & eiuſdem ſpeciei uoluptates. XIX

Quæ ſunt inter ſe unius & eiuſdem ſpeciei, non ſe mutuò corrumpunt. Neq; enim album ab albo, quatenus eſt album, corrumpitur: nec nigrum à nigro, nec calidum à calido. Poteſt autem uoluptas à uoluptate corrumpi. Quę enim ex ijs percipiũtur, in quæ

in quæ ſtudium uehementiſsimum confer-
tur,eas corrumpunt, in quibus minus ſtudij
ponitur.In theatris itaq;, quæ ex eo qui hiſtri
onẽ rectè agit in comœdia, capitur; eam cor-
rumpit,quæ ex eſu bellariorum & placenta-
tum ſentitur. Si autem,quod facit dolor acla
bor uoluptati contrarius, hoc idem facit quę
ex aliquo eſt alio, uoluptas: non unius & e-
iuſdem ſpeciei cum ea fuerit, ut numero ſolũ
differat. Præterea ſi uoluptates ſunt propriæ
operationibus,in quibus fiunt, cùm ipſę ope
rationes ſpecie à ſe inuicem differant: fuerint
etiam uoluptates à ſe inuicem aliæ. Præterea
ſi fieri non poteſt, ut eadem delectetur uolu-
ptate intemperans,qua temperans: nectem-
perans, qua intemperans: non fuerint om-
nes inter ſe eiuſdem ſpeciei uoluptates. At-
qui primum eſt: ergo & ſecundum.

*Quòd utile non eſt undiq; quæ-
rendum.* XX

QVi in omni actione, & omni diſcipli-
na,id quod eſt utile exigit, & nihil di
ſcere uel agere,quod non ſit utile,ſibi in ani-
mum inducit, is aliquid eſſe bonum & per ſe
eligendũ perimit: ſiquidem quod utile qui-
dem eſt,ſit alicuius alius gratia, ad quod uti-
le eſt: quod autẽ alicuius alius ſit gratia,cum
ab eo id quod eſt eligendum habeat, ab illo
etiam

etiam habet ut sit bonum. quidquid autē est utile, est boni alicuius efficiens, & quod ideo fit, quòd illius sit boni efficiēs. Sed si id quod per se bonum est & eligendum, est eo magis bonum, quod ab alio bonum habet: qui id quod est utile, in omnib. requirit, esse aliquid propriè & per se bonū perimit. præterea qui id solum quod est utile, bonum & eligēdum esse dicit, aliquid etiā esse utile tollit. Si enim quòd est utile, tanquam boni efficiens eligendum est, & ut sit bonum habet ab eo quod fit ab ipso. Nihil autem est eiusmodi, eorum sententia quibus solum est eligendum, non fuerit utile, eo sublato, propter quod id quod est utile factum, in se habet ut sit eligendum. Si enim quod est utile, utile fit, quòd fit alicuius utilis boni efficiens: erit quidquid fit ab utili, utile, q̃d eo quòd sit utile, ad aliud rursus relationem habebit. sic autem procedet in infinitū, dum semper id quod est utile, eo quòd aliquid facit, sit utile: id autem quodcunq; id fit quod ab utili efficitur, ipsum quoque utile existat. Cum hoc autem sic habeat, nec utile quidem adhuc utile manserit, cùm nō sit extremum aliquod, quod eo quòd per se sit eligendum & bonum, & ijs quæ ad ipsum conferunt & ad ipsum sunt utilia, ut talia sint pręstitit. Quemadmodum enim si non sit eligendum id quod fit, nec quod ad id quidem uti-

le est, fuerit eligendum: sic nec quidpiam eorum quæ sunt ad utile utilia, id quod est eligendũ habuerit, quod nihil eorum quæ ab ipsis fiunt, sit propter se eligendum: siquidem absurdum est aliquod esse bonum perimere: perimitur autem eorum sententia, qui dicunt utili tantum esse studendũ, ut ostensum est. Absurdum autem etiam dicere, nihil esse utile: quod ipsum etiam tollunt, qui utili tantum studeri dicunt. Hæc autem absurda fuerit opinio: & si pręterea ea quæ sunt nobis utilia tolluntur ad egestates, molestias, calamitates, & eas quæ nos in uita circũsistunt, necessitates. Est autẽ finis, non ut nihil sit, quod nobis turbam & molestiam exhibeat: sed ut nulla turba & molestia affecti, aliquas actiones exerceamus, quæ sunt hominib. accommodatæ & propię, & ingenuorum sunt operationes. Est enim seruorum, cum omnia fecerint, ne quid eis turbę & molestiæ prębeat, deinceps in ludo esse, nullam operationem dignam in qua studium ponatur exercẽtes. Sicut enim absurdum est, deorum actiones, uel ad id quod est sibi inutile, dicere fieri, qui nulla re egeãt, & ab omni egestate & affectione alieni sunt, uel in ludo finem eorum ponere: sic absurdum est hominibus quoq; bonarum actionum, & totius uitæ finem esse ludum dicere. Etenim si omnes ab omnibus a-

lijs ani-

ijs animantibus differimus, quòd ſcientię ſuſcipiendæ facultate præditi ſimus, & ueritatis ſenſum habeamus: clarum eſt, quòd nobis quoq; finis fuerit in ijs quæ itidem fiunt operationibus, quatenus homines ſumus. Maximè autem homines ſumus, quatenus à cæteris animalibus differimus. Ea autem ſunt, ſcientia & ueritas: quæ nec in ludo ſita ſunt, nec propter id quod eſt utile, ſunt appetenda.

De pudore. XXI

DIxit quidem in ſecundo Moralium ad Nicomachum, affectionem eſſe, ſed non habitum et uirtutem. Dicit autem etiam in quarto, & oſtendit eſſe affectionem, tum per pudoris definitionē, tum per ea quæ ijs qui erubeſcūt, accidūt. Sed illic quidē dixit, & ipſum laudabilē eſſe affectionē: hic autem, ipſum quidē eſſe adoleſcentib. eligendū, quòd cum ætas ita ſe habeat, ut in peccata facilè incidat, multis ipſorū eſt impedimento pudor: ijs aūt qui ætate proceſſerūt, alienum ipſum deinceps eſſe dicit: quòd ſit quidem propter pudorē infamię metus. Infamię aūt metus ſit uel ob turpia quę facta ſunt, uel quę facienda ſunt, nec quę uidētur: quę qui ętate proceſſerūt, etiā uirtutes habēt, nō amplius egerint. eſt aūt et eis cauere facilè quęcūq; nō ſunt qui dē turpia, uidentur aūt et ipſa eſſe cauſa infamię. Operępreciū aūt uidetur de eo tractare, & ma-

& maximè quia scimus eos qui hac ætate nati sunt, sępenumero etiam propter multa erubescere. Si itaq; esset quod diceretur, oportere infamiam contemnere: nihil nobis uerbis amplius opus esset. sed quia nõ est hoc quod dicitur: sed ponitur quidem cauendam esse infamiam: si quidem gloria et honor est maximũ externorũ bonorũ: Dicitur autẽ, quod utiq; in infamia non erũt, qui nec turpe quid faciunt, nec fecerunt: Dicamus autem aliquid ad ea quæ dicta sunt, eo quòd ipsos quoque pudore affici scimus. Non enim uidetur infamia existere ob ea solum quæ non rectè & honestè fiunt, sed etiam ob ea quę in suspicionem ueniunt, & in inuidiã & criminationem adducuntur, quæ maximè ualent apud eos qui ignorant. Si autem existit quædam etiam ob ea quæ sunt eiusmodi infamia, non exclusus est qui nihil turpe fecit, quo minus in infamia esse possit. quę quidem infamia timenda est, quæ nihilo minus ex calumnijs quàm ex actionibus existit. Infamiæ autem metus, pudor, non aliena fuerit affectio, nec à uiris bonis, nec ab ijs qui ętate processerunt: nec ipsius quidem Aristotelis sententia, qui dicit, Siquidem cauere & uitare oportet infamiam: id autem est pudor. Præterea ijs qui honestè & splendidè uixerunt, quod omnia ijs turpia inuisa sunt, maior est infamiæ metus, & eam magis

magis cauent. Quare & ijs maximè pudore affici cõtingit, qui turpia maximo odio prosequuntur. Pudor enim non uidetur esse absolutè & per se infamię motus, sed lõgè prius alienatio à turpibus: propter quã qui sic habent, eam timent, quæ est ob illa, infamiam. Si autem tale quid pudor est, non utiq; affectio absolutè fuerit, sed habitus quidam & dispositio. Eorum enim qui ætate processerũt, eos qui turpia non uitant, nemo penitus erubescentes uiderit. Propter eorum enim quę à se fiunt, consuetudinem, eam quæ est ob illa infamiã neglexerũt. Qui autem ab eiusmodi puri sunt, tunc magis erubescunt, quò sibi id ætatis turpiorem esse ducunt, quæ ob turpia suscipitur, ignominiã, quàm adolescentibus.

Quòd uirtutes seinuicem sequuntur. XXII

QVòd uirtutes morales se etiam sequũtur, ab electione etiam ostendendum est. Si uirtus enim electione maximè iudicatur: recta autem electio ex prudentia sequebatur: consultare enim est prudentiæ & uirtutis moralis: siquidem oportet ei qui rectè cõsultat, rectum esse scopum propositum, ad quem de ijs, quæ ad ipsam conferunt, consultat. Scopus enim à morali uirtute definitur. Quod enim desideramus, de eo cõsultamus: eorum autem quæ sunt decentia & conueniẽ

tia, desiderium ex morali uirtute. Vt enim dixit Aristoteles, non est recta electio sine prudētia, nec sine uirtute. Illa enim finis. Hęc uerò, ut ea quæ sunt ad finem agantur, facit. Prętere a si necesse est eum qui quamcunque uirtutem habet moralem, habere quoque prudentiam: siquidem moralis uirtus est eorum quę à prudentia & recta ratione definita sunt, actrix: necesse est autem etiam eum qui habet prudentiam, uirtutem quoque habere moralem: siquidem est prudentiæ proprium, scopum qui conuenit, assequi, quem est uirtutis moralis definire: ea est enim uirtus, appetendi facultas. In hoc enim prudētia & calliditas differunt, quòd prudentia quidem eorū quæ ad rectum scopum ferunt, est quæsitrix & inuentrix: calliditas aūt eorū quę ad quęcunque.

Quomodo, si uirtus est, ut uult Aristoteles, actio eius qui est secundum naturam habitus, non erit etiam felicitas, eius sententia, uoluptas. XXIII

SI est ergo quæ est unicuique secundū naturam actio, quæ impediri nō potest, uoluptas: eam aūt omnia appetūt: propterea iam & finis est uoluptas, & sic uiuere, utpote à q̄ ut sic sine impedimento uiuatur, causa sit. Si itaque uoluptas ut ex uirtute absque ullo impedimento uiuatur causa sit, in illa fuerit id q̄d est summū & præcipuū bonū. Si aūt nō uoluptas,

ptas,sed aliquid aliud: illud quoq; talis uitæ causa fuerit. Quare si ut sic homines agãt, uirtus in primis causa sit: (fortunæ enim bona nonnihil cõferre uidebuntur ad hoc, ut citra impedimentũ uiuatur) ea in se causam maximè habuerit talis inter homines uitæ. Quare si ut homo sit felix, in hoc sitũ sit, si in ijs quæ sunt ipsi secundũ naturã, quatenus homo est, actionibus positus sit, si impediri non possit: uirtus felicitatis in primis causa fuerit, ut quę ut homo proprias operationes maximè exerceat, & sine impedimento, causa sit. Præterea uoluptas quæ est actu seu operatione, eã quę hoc modo fit, actionẽ sequitur, ut in Moraliũ postremo ostendit. sequẽs aũt uoluptas eam quæ fit hoc modo, operationẽ, magis signũ fuerit: quod ijs qui sic operantur, adest ut sint felices, potius quàm ipsa felicitas. Actu enim uoluptas ab Aristotele dicitur, nõ tanquam ipsa ex propria ratiõe actu sit, sed quod in operationẽ esse suũ habeat, et sine ea fieri nõ possit. Quare ut se habet actu esse citra impedimentũ, ita etiam se habet esse felicitatẽ. Est aũt ea actus seu operatio, quæ impediri nõ potest, quod talẽ sequatur operationẽ: & est felicitas, quod sequatur felicitatem, & eius præsentiæ signum sit. Quòd aũt ad hoc attinet, ut citra impedimẽtũ operemur, ad uirtutes per quas sunt exercẽdę tales operatiões, ea quoque opus est: tantũ
 abest

abest ut in ea quæ est ex uirtute, operatione uoluptas, plus in ea ualeat. Quòd quidem in corporeis uoluptatibus, delicijsq; ac iucũditatibus perpetuò fruente uita felicitatẽ statuere seruile sit, ipse satis ostendit q; mancipia & pecora talem esse uitã iudicent: & præterea per Sardanapalum. Quòd aũt nec in ijs quæ per animã fiunt actionibus, sunt actiones uoluptatis gratia, sed uoluptas actionũ, clarũ est. Et si enim sunt uel quàm maximè iucũdę, quę sunt ex uirtute actiones, nõ tamen eas uoluptatis gratia exercemus, & acri studio prosequimur: sed contrà. Quæ enim sunt ex uirtute operationes eligimus, etiamsi molestiæ & laborũ quãdoq; nobis causæ sunt. Vt fit in ijs quæ sunt per animi magnitudinem, actionibus. Voluptates autẽ turpes eligere, nunquã iustum est, nec rationi consentaneũ. Quare si quæ sunt quidẽ ex uirtute actiones, sunt eligendæ, etiamsi sint cum dolore, q̃d quidẽ est uoluptati contrariũ: uoluptates aũt nunquã sunt eligendæ cum eo q̃d est honesto & uirtuti contrarium: clarum est, q; non in ijs quę ex uirtute fiunt actionib. uoluptates eligimus. Et per eiusmodi actiones hoc maximè discerni possit, si naturã secuti considerauerimus, et sumpserimus, utrũ utrius gratia nobis statim natis dedit natura, actionem'ne propter uoluptatem, an uoluptatẽ propter actiones. Atqui

qui planũ eſt, uoluptatẽ animalibus propter actiones à natura eſſe datã, ſi modò ea ſeruãda ſint. Fieri enim nõ poteſt, ut ipſa, ſi nõ nutriantur, uiuãt: & ideo eam quæ ex alimentis capitur uoluptatẽ, ex ipſa habemus: propter quam uoluptatẽ, etiam q̃d nõ adeſt, nutrimẽtum quærimus, & præſenti utimur, ꝗ à melioribus aliquando ceſſemus, per hanc nos conſolãtes. Eſt enim omnino abſurdũ dicere, nutriri nos, non tanquã per hoc ſeruandos, ſed pro uoluptate quę in eo eſt. Sed eã etiã quę in rebus uenereis accedit, uoluptatẽ, ſi quis naturaliter examinet, nõ alius rei gratia inſitam inueniet, quàm liberorum ſuſcipiendorũ gratia. Vt à uoluptate incitata animalia, coniunctionẽ non refugiant, quæ animalibus æternitatis per ſpeciẽ cauſa eſt: per quã fit, ut ipſe quoq; mundus ſibi ſimilis ſemper maneat. Si aũt in his, apertè fiũt uoluptates animalibus actionũ gratia: etiã in alijs quoq; quæ ſunt ſecundum naturã, fiunt, operationibus ſic habere eſt rationi conſentaneũ. Quòd aũt in ĳs in quibus ſimul exiſtit & honeſtum & uoluptas, non eſt honeſtum uoluptatis gratia eligendum, ſed uoluptas honeſti, ex hoc, ut meminimus, clarum eſt: ſi uoluptatis gratia eſſet eligẽdum, quod honeſtum eſt, cùm ipſa finis maneret, & propter ſe eligẽda: uoluptatis autem eſſet efficiens honeſtum: non minus eſſe

eligendum duceremus, turpe quàm honestū fieri, quoniam hoc quoq; est uoluptatis efficiens. Quibus enim adest id quod est eligendum, ut efficientibus, ijs, id quod ab ipsis fit, electionis causa est. Vel enim non dicendum est, fieri aliquas etiam in turpibus actionib. uoluptates, sed in solis honestis: uel si hoc uerum nō est, eligendum erit etiam id q̄d est turpe, similiter ac honestum, si quæ ab eis fit uoluptas, eorum electionis causa est. Si autem hoc est absurdum, ut quod nobis omnem turpem actionem, non minus quàm honestam, esse eligendam persuadere uelit, etiamsi ea magis & pluribus uoluptates præbeat: nec honestum propter uoluptatem eligendum fuerit, ut illius efficiens. Si autem oportet quidem uel propter uoluptatem, honestum esse eligendum, uel propter honestum, uoluptatem, non est autē honestum propter uoluptatem: uoluptas id quod est eligēdum, ab honesto sumpserit. Neque uerò idem esse dici potest, honestum et uoluptatem. Si enim idem eis esse sit, ut etiam inter se inuicem conuertantur, necesse est quidquid est honestum, in eo quoq; quòd est honestum, etiam ut sit iucundum habere: & quidquid iucundū est, simul esse honestum & iucundum. Si autem falsum est dicere, omnem uoluptatem honestum esse, quòd nihilominus uideamus existere

ftere uoluptates in turpibus actionibus: nec quę in honeftis funt operationibus, uolupta tes, eædem fuerint cum ijs operationibus, in quibus fiunt. Simul enim dicere, uoluptates effe folas propter fe eligendas: aliorum autem eligēdorum unumquodq; quatenus ad uoluptatem aliquid confert, eatenus etiam id quod eft eligendum, habere: fimul autem, honeftum quidem effe eligendum, ut uoluptatis efficiens, nō itidem autem turpe etiam eligendum effe dicere, propter eam quæ ab ipfo procreatur, uoluptatem: non eft eorum qui, quæ in confeffo funt, dicunt: fed eorū qui nō probabiliter ea negant, quæ per fuā hærefim fic habere cōcedunt. Nemo enim qui nō hoc modo paratus & inftitutus fuerit, tam ab furdam opinionē proponit. Dicere enim, eas quæ in honeftis exiftūt actionibus, uoluptates effe finceras ac puras, & cōtrarijs doloribus impermixtas: & propterea earum quoq; effectrices actiones habere id quod eft eligēdum, quę aūt funt in turpibus, parum habere iucundi: multa aūt & lōgè plura, quæ dolorē ac moleftiā afferant: quare nec effe eligendas actiones eiufmodi, quæ funt potius doloris quàm uoluptatis effectrices: eorū eft, qui q̄modocunq; unà cum actionibus in quib. exi ftunt, uoluptates diuidunt, & non eas unius & eiufdem fpeciei feruant. Si enim quæ in

honestis quidem existunt, sunt eiusmodi: quę autem in turpibus, tales: honesta & turpia fuerint causæ uoluptatum differentiæ. Non enim à uoluptatibus est actionibus id quod eligendũ est, sed uoluptatibus ab actionibus: & fuerint aliæ quidẽ specie, quæ ex honestis: aliæ, quæ ex turpibus. siquidem omnes quæ ex honestis, sunt puræ & immixtæ, & nullius pœnitentiæ uel doloris causæ, quę ab eiusmodi actionibus formam ac speciem sumpsere: quęcunq; autem sunt ex turpibus, sunt & molestæ, & cũ pœnitentia. Sic autẽ se habentibus ad actiones uoluptatibus, manifestũ est, non esse à uoluptatibus id quod est eligendũ in actionibus: sed ab operationibus adesse uoluptatibus, his quidem id quod est eligendum, illis uerò quod fugiendum: siquidem fugiendæ sunt, quæ plus molesti quàm iucundi habeant. Tales autem sunt omnes, quæ in turpibus existunt operationbus.

Quomodo uirtutes sunt per se eligendæ. XXIIII

ET quomodo dixerit quispiam, uirtutes, & quæ ex eis sunt actiones, esse propter se eligendas, si hæ sint quidẽ à nobis eligendæ propter immoderatos animi motus amoliendos? Animi enim magnitudinem eligimus, ut metum & audaciam moderemur. Temperantiã uerò, ut quæ ex tactu existunt, uolupta-

uoluptates & dolores. Eligimus autem etiã aliarum uirtutum unamquanque, uel ad aliquarum affectionum, uel actionum modũ. Liberalitatem enim & magnificentiam ideo exercemus, ut actiones metiri possimus, quæ in dandis & accipiendis pecunijs uersantur. Animi autem altitudinem, & honorum desiderium in moderata, & quæ sit pro dignitate ac meritis honorum, electione: & lenitatẽ in iræ commoderatione. Iustitiam autem eligimus, quòd sit eius quę est nobis secundum naturam societatis conseruatrix: siquidẽ natura sumus ad societatem & ciuilem congregationem facti. Quemadmodum enim non est per se eligenda ars ædificatoria, quòd ea quæ ab ipsa fiant, eligenda sint: nec ars palæstrica est propter se eligenda, quòd ea ut rectè luctemur sit effectrix: neq; ex uirtutibus aliqua est propter se eligenda, si quod est in ipsis eligendũ, est ab ijs quæ per ipsas fiunt. An si esset quidẽ aliud, propter quod unam quanq; uirtutem, uirtutem esse dicimus: aliud autem ipsa uirtus, iure tolleretur unamquanque earum esse per se eligendam. Si autem est unaquæque uirtus, esse in eo propter quod est eligenda: iure dicatur, esse uirtutes propter se eligendas. Quemadmodum enim si ars domũ ædificandi esset domus, propter quam est eligẽda, ea esset propter se eligẽda:

ſic etiam unaquęque uirtus, ſi eſt eadem cum eo propter quod eſt eligenda, ea fuerit propter ſe eligenda: & adhuc magis & apertius, ſi unumquodq; eorum, quæ per ipſas fiunt, in ſe habeat id quod eſt eligendũ, & non propter relationem ad aliud, ut domus, propter quam ars ædificandi habet id quod eſt eligẽdum, nempe eo quòd ſit tegumentum, quod frigus & æſtum à nobis arceat. Quòd autem eædem ſint uirtutes cum ijs, propter quæ eas eſſe eligendas dicimus, ex hoc manifeſtũ eſt, quòd eæ ſint mediocritates affectionum & actionum. Animi quidem magnitudinẽ, tumoris & audaciæ: Temperantiã autem, uoluptatis & doloris in ijs quæ contrectantur: Liberalitatem uerò, in pecunijs dandis & accipiendis. Eadem autem eſt in alijs quoque ratio. Quare ſi earum eſſe in ijs cõſiſtit, propter quæ ſunt eligendę, eæ propter ſe eligendę fuerint. Et adhuc magis propter ſe, quòd nõ propter aliquid aliud ſunt nobis, quę in metu & audacia uerſantur, mediocritates eligendæ, ſed unaquæque propter ſe. Quod enim in ſe & ſua natura habet ut ſit eligendum, hoc per ſe eligendum eſt. Tales autem ſunt mediocritates, quæ in eis uerſantur actionibus quæ ſunt nobis à natura. His autem ſic habentibus, ſi ciuilis ſocietatis & domeſticæ diſpen-

ſatio-

ſationis conſeruatio non eſſet propter ſe eligenda, ſed propter aliquid aliud: nec iuſtitia, quæ eſt mediocritas eorum in quibus eſt prædictorum conſeruatio, propter ſe eligenda fuerit, eorum ſententia quibus eſt hoc iuſtitia. Si autem ſocietas & ciuilis communicatio, & eius conſeruatio eſt propter ſe eligenda: oſtendatur & iuſtitia propter ſe eligenda, quatenus eſt mediocritas & æqualitas, eius ſcilicet quod eſt in poſſeſsionibus & contractibus æquale, in quibus conſeruatur ciuilis & prima ſocietas & communicatio. Atqui quòd propter ſe eſt hominibus eligendum ſocietas, & communicatio, ex eo cognoſcere eſt expeditum, quòd ſocietas & communicatio ſit eis ex natura: cuius apertiſsimum ſignum eſt, quòd eo maximè homo à cęteris animalibus differat, quod eſt ei ſolum utile in ea quæ eſt inter ſe ſocietate & communicatione. Eſt enim eius proprium, ſermo. Eſt autem eius uſus, ad declarandas ſuas affectiones, & mentis conceptiones, ijs qui propè ſunt. Eſt hoc autem etiam ex eo euidens, quòd nec aliquandiu quidem uiuere poſsit homo, ſi ſolus fuerit. Quia autem, ut in ſocietate & communicatione uerſetur, homini ſuum eſſe eſt, & eius gratia oratio; optima autem,

& earum quæ secundum naturam fiunt, societatem & cōmunicationum, perfectissima est ciuilis: ab optimis aūt eorū quæ unicuiq; fiunt, natura sumitur iudicium: fuerit homo & ratiocinandi & eloquendi facultate prædítus, quiq; ciuili societate & communicatione delectetur. Porrò autem talem etiam societatem ac communicationē seruare, ei maximè secundum naturam fuerit, & propter se eligendum. Est autem eiusmodi iustitia.

Pertractatio unde sit uirtutum inuentio & constitutio. XXV

Quia felicitas est scopus hominibus: omnia etiam agēda sunt, ut eam assequamur, ut finem, & nostrorum omnium bonorum maximum. Fieri autem non potest, ut aliqua, tanquam ad aliquid cōferentia agamus, uel ea omnino cognoscamus per quę scopum aliquem assequi poterimus, si scopus ignoretur. Eorum enim inuentionis quæ ad scopum conferunt, & earum quæ illius fiunt gratia actionum principium, scopi fuerit cognitio. Quare moralis etiam philosophiæ principiū est, scire quid sit felicitas: cuius gratia à nobis omnia agenda sunt. Inuestigauerimus autem quid sit felicitas, uniuscuiusque eorū quæ sunt, inuento bono in propria actione: quæ est quatenus est ei esse id quod est, si rectè fiat. Nam & in ijs quæ natura constant, hoc mo-

hoc modo habet: sed etiam in ijs quoq; quæ ex arte, siquidem ars imitatur naturam. Nam equi etiam eiusmodi bonum est: siquidē proprium equi opus est & munus, currere. Eadem ratio etiam in cane. Siue enim canis munus est seruare, siue uenari, siue horum quidem hoc, illorum uerò illud: eorum quoque bonum in eo est, quòd rectè illa faciant. Sed & ædificatori bonum & finis in eo est, ut rectè ædificet, quoniam est eius quoq; officium ac munus ædificare. Et quoniam in unoquoque finis operationi & officio ac muneri à propria uirtute accedit: uniuscuiusq; finis erit, si proprium opus & munus faciat ex uirtute. Quòd si ita est: hominis quoq; bonum & finis fuerit in eo, quòd ex uirtute proprias quoque, quatenus homo est, actiones exerceat. Atqui propriæ hominis actiones & operationes sunt, quæ per ratione prǽditam animam fiunt. Hominis enim esse in eo est, quòd per animam ratione prǽditam uiuat et operetur. Si autē ita est, fuerit etiam ei finis in eo quòd uiuat & agat ex uirtute animæ quæ est ratione prædita. Quare felicitas, quoniam ipsa est hominis bonum & finis, fuerit actio ex uirtute animæ quæ est rationis particeps, hoc adiecto, In uita propria (nihil enim perfectum in imperfecto) & hoc præterea, In antecedentibus: quoniam instrumentis opus

opus habeant antecedentes, & consultatoriæ actiones. Cùm sit autem hic scopus, ex eius inuentione & cognitione clarum est, ad felicitatis acquisitionem opus esse rationem habentis animæ uirtutibus. Quærentes autem quę nam sint, ad uidendum primum accessimus, quæ nam est anima ratione prædita, quoniam eius uirtutem quærimus. Duplex autem rationem habentis animæ facultas inuenta est: hæc quidem per se rationis expers, sed in eo tamen est rationis facultate prædita, quòd possit & rationem recipere, & à ratione certo modo & numero componi. Talis enim est quæ in nobis est, appetitiua anima. Illa uerò est ratione prædita, quòd in se rationem habeat. Et est utriusque prædictarum facultatum propria quædam actio & uirtus, per quam id quod bene est, in propria fit operatione. Appetitiuæ quidem actiones, & qui sunt per animi perturbationes, motus: uirtutes autem eę quas morales appellamus, quod per mores quosdam & assuefactiones insunt. Cogitatiuæ autem actiones quidem, generabilium naturæ cognitiones, & eorum quę omnino aliter se habere contingit. Virtus autem per quam est cognitio eius, quę est in ijs, ueritatis. Intelligentis uerò actio quidem, ęternarum substantiarum cognitio: uirtus autem, per quam earum uera existit cognitio.

gnitio. Sic autem diuisis uirtutibus, & quę sit unaquęque, & quod sit ipsius munus, & quid ad felicitatem conferat, ex officiis & actionibus utriusque rationalis facultatis inuenitur. Appetitiuę itaque facultatis munus sunt actiones, quę in uoluptatibus & doloribus uersantur, & quæ illas quidem eligat & persequatur, has uerò auersetur. Et quia hoc naturaliter fieri consueuit in omnibus quæ sunt eiusmodi, ut in iis sit excessus & defectus, est incommoderatio quidem, eius quod benè est in unoquoque corruptrix: est autem eiusmodi excessus & defectus. Commoderatio autem est eius quod benè est, conseruatrix & effectrix, ut & in exercitiis & nutrimentis clarum est. Exercitiorum enim excessus & defectus, sunt bonæ habitudinis, quæ est uirtus corporis, corruptrix. Eorum autem commoderatio & mediocritas, est effectrix & conseruatrix eius ꝙ in iis benè est. Sed & ciborũ rursus excessus & defectus sanitatẽ corrũpũt, cõmoderationes uerò efficiũt & conseruant. Sic aũt habet & in animi motibus, & iis quæ sunt circa eos actionibus. Eorũ quidẽ excessus & defectus, id ꝙ in iis bene est, corrũpũt & perimũt: cõmoderationes uerò & faciũt, & cõseruãt. Et quoniã ꝙ benè est in omnib. id est propria uirtus: & quidquid fit ex uirtute, id ideo euenit, ꝙ in his uirtutib.

actio-

actionum & animi perturbationum cõsistat moderatio. Temperantia enim corrumpitur quidem à uoluptatum earum excessu & defectu, in quib. uirtus quidẽ esse solet temperantia, uitiũ uerò intẽperantia & insensilitas: seruatur autem & constituitur ab earum ipsarũ mediocritate & cõmoderatione. Sed & animi quidem magnitudo cõsistit ex ea quæ est in metu & audacia, commoderatione: ab eorundem autem excessu & defectu corrumpitur. Sicut autem in ijs, ita habet etiam in reliquis. Quare si id quod in ijs bene est, est in motuũ animi & actionũ mediocritate: quod autem bene est, est in unoquoq; propriæ uirtuti conuenienter: quæ in his uersantur, uirtutes, in eorum quæ prædicta sunt, mediocritate fuerint. non simpliciter autem, nec utcunque acciderit, & indiscriminatim sumpto eo quod in eis est, medio: sed ut à prudentia, & ex recta ratione definitũ fuerit. Etiã quæ per appetitiuam animam felicitatis pars est, in ijs quæ sunt in animi perturbationibus & actionibus, rectè factis uirtutum operationibus fuerit. Præterea autem si est hominis uirtus, ex qua bonus homo fit: nam in alijs etiã omnibus ex propria uirtute unumquodque bonum est, & fit. Bonus autem homo fit, & est, qui nec est in animi motibus immoderatus, nec in ijs quæ in eis uersantur, actionib.

ex hoc quoq; ostēsum fuerit, uirtutem moralem esse in mediocritate eorum quæ prędictā sunt. Actiones enim quę in animi motibus & actionib. uersantur, quando sic per mores institutæ & eruditæ fuerint, ut assuefacti quidē honestis operationibus delectentur, contrarias autem ægreferant & auersentur: quod fit in electione & inuctione eius quod est in ipsis medij, sunt uirtutis efficientes. Quare morales etiam uirtutes esse habitus dicimus, qui sunt in medio animi motuum & actionum, recta ratione definiti. Et talis quidem est in his moralium uirtutum constitutio. Cogitatiuæ autem, & sic rationem habentis animæ, quoniam hæc quidem in æternorū, & se semper similiter habētium cognitione uersatur: illa uerò in eorum quæ se quoq; aliter habere contingit, quorū alterum quidē sciētia esse prædītū, alterum uerò ratiocinatiuū & deliberatiuū uocamus: per utranq; eorū quæ dicta sunt, actionē, erit & quod bene est, & q̄d est ex uirtute. Est aūt uirtus cognitionis, ueritas. Quæ aūt in utraq; rationē habentis animæ facultate uirtus est, ad ueritatis erit cognitionem eorū quæ ipsa contemplatur. Quæ in consultanda quidem & quę aliter habere cōtingit, sequens rectam appetitionē. Inuentio enim & cognitio eorū quæ ad appetenda cōferunt, est rectæ appetitioni eligenda. Talem,

autem habitum et uirtutem, prudentiã appellamus. Prudentia enim est inuentrix earum quæ ad rectum scopum conferunt, actionũ. Quare & prudentiam actiuam uirtutem dicimus: quoniam cognitio ipsa est de ijs, quę ad actionum conferunt rectitudinem. Quæ aũt in eorum quæ æterna sunt, cognitione uersatur, habet quidem id quod bene est, in eorum quæ in illis sunt, uerorum inuentione & cognitione, existens contemplatiua, sed non actiua. Nihil enim eorum quæ in ijs sunt, uerorum, habet ad actionem aliquam relationem. Quare est eis finis cognitio eorum, quæ sunt in æternis uerorum: & est in eis id quod bene est, & bonũ & uerum: quod aũt falsum est in eis, etiam malum. Quam uirtutem scientiam appellamus, quæ est habitus demõstratiuus. Et quia demonstratio est per quædam eius quod demonstratur, prima, & propria, & uera: & non est in eis infinitum, id q̃d primum est: sed est aliquid, quod in eis etiã primum est. Eius aũt quod sic est primũ, cognitio & inuentio, mens siue intelligentia appellatur. Sapientia autem, quæ habet utrunq;, & principiorum inuentionem, & eam quæ fit per principia, eorum quæ sunt post ipsa, inuentionem & demonstrationem. Quare rursus quæ sunt cogitatiuæ uirtutes, cùm sint eius quod bene est, in prædictis actionib. inuentri-

uentri-

uentrices & inuestigatrices, id quod principaliter & maximè confert ad felicitatem habuerint, quòd quæ sunt præcipuæ rationis prædítæ animę actiones, ab eis suum esse habeant. Virtus ergo principium sumpserit ab ea quæ ad felicitatem spectat, utilitate: esse autem habet in ijs, quæ sunt ex utraq; rationis facultate, animæ operationibus, existens eius, quod in ijs bene est, inuentrix & demonstratrix.

Quòd non est honestum gratia uoluptatis eligendum, sed uoluptas honesti. XXVI

NOn est honestum uoluptatis gratia eligẽdum, sed uoluptas honesti. Ex hoc autem manifestum est. Si esset uoluptatis gratia eligendum honestum, tanquam illa sit & finis, & propter ipsam id eligẽdum: honestũ autem ea demum ratione id quód est eligendum, in se habeat, quód sit uoluptatis efficiens: turpe perinde ac honestum esse eligendum poterit, quoniam id quoq; est uoluptatis efficiens. Quibus enim id quod est eligendum, est ut efficientibus: ijs, quód ab ijs fit, electionis modus est. Vel enim non dicendum est, in turpibus etiam actionibus aliquas uoluptates existere, sed in solis honestis: uel si hoc non uerum est, erit turpe non minus eligendum, quàm honestum: si quæ ex ijs efficitur, uoluptas, eorum electionis causa est.

Si autem est hoc absurdum, quod nobis hanc opinionem conciliat, ut credamus omnē turpem actionē nihilo minus esse à nobis eligendam, quàm honestam, uel etiam magis, siquidem ipsa magis & pluribus uoluptates cōparat: non fuerit honestum propter uoluptatē eligendū, ut illius efficiens. Si aūt oportet uel honestū esse propter uoluptatem eligendū, uel propter honestum uoluptatem, nō est autem honestum propter uoluptatem, uoluptas, id quod est eligendū, ab honesto sumpserit. Neq; enim dici potest idem esse honestum & uoluptatem in ijs, in quibus unà existunt, & simul sunt adinuicem. Si enim idem esse eis esset, ea in se inuicem conuerti necesse esset, ut quidquid est honestū, in eo q̄d sit honestū, id quoq; q̄d iucundum est, habeat: & quidquid est iucundum, simul sit honestū & iucūdum. Si aūt falsum est dicere, omnē uoluptatem esse honestū, ꝙ in turpibus actionib. nihilominus uideamus uoluptates existere, nec quę in honestis existunt operationibus, uoluptates eædē cum ijs fuerint, in quib. existunt, operationibus. Simul enim dicere, uoluptates esse solas propter se eligendas: aliorū aūt unumquodq;, quatenus aliquid ad uoluptatē confert, eo usq; id q̄d est in se eligendum, habere: simul aūt honestū quidē eligendū esse dicere, ut uoluptatis efficiens: nō itidem aūt & turpe eli-

pe eligendum esse dicere, propter eam quę ex ipso efficitur uoluptatẽ, non est eorũ qui sibi cõuenientia & cõsentientia dicant, sed qui eã improbabiliter negent, quæ per suas hæreses sic habere concedunt. Nemo enim qui nõ sit hoc modo institutus & præparatus, tam absurdã opinionẽ præponit. Dicere enim quæ sunt in honestis actionibus, uoluptates & puras esse, & contrarijs immixtas doloribus: & propterea eas quoq; quæ sunt ipsarũ effectrices, operationes, id q̃d est eligendũ, habere: quæ aũt sunt in turpibus, exiguũ habẽtes, q̃d delectet, multa habere et multo plura quę dolore afficiãt: nec ideo etiã esse operationes eiusmodi eligendas, cùm sint potius doloris quàm uoluptatis effectrices, quomodo non est eorũ qui unà cum operationibus in quib. fiunt, uoluptates diuidunt, & nõ eas seruant unius eiusdem speciei? Si enim quę sunt in honestis quidẽ tales, quæ aũt in turpibus eiusmodi, honesta & turpia uoluptatũ differẽtiæ causa fuerint. Non enim à uoluptatibus est actionibus id q̃d eligendũ est: sed uoluptatibus ab ipsis actionibus, quibus quidem propter eas est etiã ut tales sint: & fuerint alię quidem speciei quæ ab honestis, aliæ uerò quæ à turpibus: siquidẽ quæ ab honestis quidem fiũt, sunt oẽs puræ & immixtæ, ac nullius omnino pœnitẽtiæ uel doloris causæ, quæ ab hu-

 iusmo-

iusmodi operationibus formã & speciẽ sumpsere: quæcunq; aũt sunt ex turpibus, mixtæ & in pœnitentia. Cùm aũt sic habeant uoluptates ad operationes, clarum est q; non est à uoluptatibus id quod eligendum est, sed ab operationibus: id est uoluptatibus, illis quidem quod est eligẽdum, his uerò id quod est fugiendũ: siquidem sunt fugiendæ, quæ plus habent eius quod molestia afficit, quàm eius quod delectat. Tales autem quæ in turpibus sunt, operationes.

Cur uirtutes omnes morales, sint mediocritates, siue medietates. XXVII

AN quia omnis uirtus, eius cuius est uirtus, & id q̃d bene habet perficit, & eius officium ac munus bene expromit. Oculi enim uirtus, & oculum bonum facit, & eius opus ac munus. Oculi enim uirtute bene uidemus. Eadem aũt ratio est etiam in alijs corporis partibus. Sed & equi uirtus & equũ bonum facit, & bonũ ad currẽdum, & sessorem ferendum, & hostes sustinendos. Eadem aũt ratio & in alijs animalibus, & in artibus & scientijs sic habet. Nam artis gymnasticę uirtute & corpus hominum bene se habẽs redditur, & proprias operationes bene explicat, accedit. Eadem aũt ratio est & in arte medica. Eius enim uirtute & corporibus sani sumus, & salubres operationes exercemus. Similis est ratio

ratio & in ædificatoria, fabrili & figulina, & in omnib. artibus. Cùm sit aũt uerum, omnẽ uirtutem, id cuius est uirtus, bene se habens efficere, & eius officiũ ac opus bene explicare & edere: clarum est, hominis eam futurã esse uirtutem, ex qua & homo ipse bene habet, & suum opus ac munus quàm optimũ explicat. Quid aũt sit eiusmodi, deinceps uidendũ est. Id enim inuentũ, uirtus fuerit. Quoniã ergo uidemus in omni q̃d est quãtitate præditũ, id q̃d additionem & substractionẽ suscipit, & quod exuperat, & q̃d deficit, esse in eis fugienda. Quod aũt est æquale, & cõmoderatum, & medium, esse eligẽda, & in eo propriã uirtutẽ habere. In corporũ enim habitudine, & uirtute corporis, & excedẽtia, & minora quàm par sit exercitia, & ut bona sit habitudo impediunt, & si fuerit, corrũpũt. Cõmoderata aũt & mediocria, & seruant, & faciũt. Sed & sanitatẽ qui sunt quidem immodici, & qui quàm par sit, pauciores cibi, corrũpunt: cõseruant aũt si sit, & si nõ sit, faciũt, qui sunt mediocres, & cõmoderati. Sed & in arte figulina uidere licet, in cauẽdo excessu & defectu, esse quod ab ipsa fit ex uirtute. Sicut autem habet in ijs, ita etiam in omnibus alijs. Versatur autẽ moralis uirtus in actionib. & animi perturbationib. quę & additionẽ & ablationẽ suscipiũt. Clarũ est ergo, ꝙ eodem modo quæ in ijs uersatur,

uirtus,in eorum mediocritate fuerit. Quemadmodum aũt quod in alijs eſt mediũ ac mediocre, ab ea quæ eſt ex arte, ratione definitur: Sic & in animi motibus et actionibus,q̃d medium eſt ac moderatum,à prudentia & recta ratione definitũ fuerit: per quã ea etiam quæ definita ſunt, ac fiunt, extremũ in eo q̃d bene eſt,habuerint. Quare moralis etiam uirtutis definitionẽ eſſe dicimus, medietatis ſeu mediocritatis ad nos pertinẽtis rationis dẽfinitæ,quæ in animi motibus & actionib.uerſatur,conſilio ſuſceptũ habitum,qui id quod in extremis bene ac honeſtẽ eſt,habet. Quòd aũt ita habet,ijs eſt manifeſtum, qui unicuiq; morali uirtuti manũ admouent, & eam pertractãt. Animi enim magnitud,ometus & audaciæ exceſſus, & ſimiliter defectus cauẽs, id quod in ijs benè eſt aſſequitur. Viciũ autẽ circa eorũ exceſſus & defectus: quorũ illud quidẽ eſt temeritas, hęc uerò puſillanimitas actemeritas, utrũq; eorũ uiciũ exiſtens. Sed & tẽperantia idem in corporeis, & quæ per tactũ exiſtũt,uoluptatib. ac doloribus aſſequitur: eodem modo uitans exceſſus & defectus: aliquod aũt ex recta ratiõe mediũ in eis eligẽs. Eorũ aũt quæ ex exceſſibus & defectibus exiſtunt,huic oppoſitorum uiciorum, quod in exceſſu quidẽ eſt,incontinẽtia eſt,& luxuria: ꝙ autẽ in defectu, eſt ſenſus omnis priuatio.

Quemad-

Quemadmodum autem in habitibus, sic & in alijs actionibus, & quæ sunt in ijs, affectionibus, se habent uirtutes, quæ sunt medietates: & quæ sunt per excessus ac defectus, uitia. Eorum autem qui dicunt uirtutes non esse medietates, seu mediocritates, uel quod, quæ dicta sunt, ignorent: uel etiam propter laudis cupiditatem, ut etiam ad hoc aliquid dicere uideantur, qui dicunt non posse quidem esse medietatem uirtutem, quod mediū extremis definiri, & ab eis æqualiter distare oporteat: non esse autem nec in animi motibus, nec in actionibus excessus & defectus definitos: neq; enim definitum est quousque audendi & timendi incommoderatio procedat: eis autem dici possit, quod nec intellexerunt id quod in definitione adiectum est, medietatis, siue mediocritatis. Id autem est, quæ ad nos pertinet: et si Aristoteles hoc apertè definierit, & ostēderit, quod medium quidem, quod ad quemuis pertinet, extremorum termino opus habet: quod autem ad nos pertinet medium, neq; bene & idem in omnibus fuerit, neq; in æquali extremorum distantia inuenitur. Contrà enim medij, ubi sic fuerit cognitum, inuentio, quæ à medio utrinque sunt, abitiones fecerit. Sicut enim in artibus, quod in unoquoq; eorum quę dicta sunt, medium, & artis rationi cōmoderatum est, quæ

à medio sunt, declinationes & utrinq; transgreßiones, ostendit: sic etiam habet in animi motibus, & actionibus. Quod enim est per eam unicuiq; commoderatum, à prudentia, & ea quæ est ipsa ratione definitum, omnes ab eo recesßiones & eius trãsgreßiones apertas ac cognitas efficit. Quare nihil ad fines ipsorum aditu eget, sed ipsos hinc arcet, quòd primis eorũ discessionibus resistat, quæ fiunt præter id quod est medium & commoderatum. Sed & qui dicit uirtutem nõ esse duorũ quæ utrinq; sunt, uitiorum, mediam: neq; enim sic sequi ut ei sit uitium cõtrarium, quòd medium quidem à neutro eorum quæ utrinque sunt extremorum plurimum distet: contraria aũt esse, quæ in eodẽ genere à seinuicẽ plurimũ distent: nec is quidem eorũ quæ posita sunt, aliquid labefactarit. Si uirtus enim esset ipsę medię animi perturbationes, & ipsę medię actiones, aliquid dicerẽt: nunc aũt uirtus nõ ea est, sed in eis uersatur. Ipsi aũt uirtuti in hæc esse est, quod in recta ratione & cõmoderatione esse habeat: excessus uerò & defectus, ut uitia sint, habent à ratione quæ peccauit, & in cõmoderatione: quatenus illa quidem ex recta ratione facit, quæ facit, & est cõmoderatio: ex ratione autem quę peccauit, & est in in cõmoderatiõe, est eis cõtrarietas. Nã per animi quidẽ motus, & actiones, & eã quę

in eis eſt, quantitatem, defectus ab eo dicti ſunt eſſe exceſsibus contrarij. Porrò autem is etiam qui dicit uirtutem non eſſe medietatem: oporteret enim eum qui uirtutem habet, benè id quod eſt medium, aggredi ac tractare: ſed non, quod ſummè. Sed is hęc dicit, ijs non intellectis, quæ dicuntur. Dictum eſt enim, eam quæ eſt in animi motibus, & actionibus, mediocritatẽ, prædicto modo, eſſe in eo ꝙ bene eſt, ſummitatẽ. Sũmè enim bene habet, ꝙ fit in illis, quę ſunt mediocriter et cõmoderatè. Nihil enim uetat, quo minus id quod eſt aliquorũ ſummum, ſit in medio aliquorũ extremorum. Quare & abſurdè loquitur, qui dicit, ſi uirtus eſt animæ ratione præditę ſummũ, eam non poſſe eſſe mediũ: quod fieri nõ poſsit, ut idem ſit ſimul & ſummũ & mediũ. Si enim eiuſdem quis eſſe uellet idem ſummũ & mediũ, aliquid dicerent. Sed quia non hoc dicitur, ea quæ reprehenſionẽ effugiunt, reprehenderint. Sed nec is qui dicit, ſi uirtus eſſet duorum uitiorum extrema, eſſet ex ijs compoſita, quòd contrariorũ media ex contrariorum mixtionè conſtitutionem habeant, ut in coloribus, odoribus, & ſuccis, de quibus in libro De ſenſu dixit: nec is quoque aliquid eorum quæ poſita ſunt, tangit. Non enim ſi prædicta ſunt eiuſmodi, iam & omnia aliquorum contrariorum media ex illo-

illorum mixtione esse habent. Nullum enim quod per quantitatem aliquam est medium, habet ex contrarijs constitutionem: sed contrà, in ea quæ est ab extremis, distantia ac remotione, habent ut sint media. Nam & in ijs quæ per artes fiunt, id quod est medium & commoderatum, non est ex eius quod excedit, & deficit, compositione, sed in eorum uitatione. Non enim ex eorum quæ exuperāt, & eorum quæ minora sunt quàm par sit, excitiorum mixtione, est bona habitudo, & si sit in medio eorum. Sed neq; sanitas hoc modo fit. Sed neq; ars figulina excessus & defectus componit. Sed neq; centrum circuli est ex mixtione eorum, à quibus plurimum distat. Sed neq; quæ inter bona & mala sunt, ex illis mixta sunt. Sed nec eum qui proficit, ex uirtute & uitio componi dixerit quispiā. Sed nec illud dicere, rectum & sanum est: si medietas est uirtus, oportebit eum qui à defectu ad excessum procedit, primum esse ex uirtute. Si essent enim mediæ affectiões, & mediæ actiones uirtutes, fortasse esset aliquid quod diceretur. Si autem uirtus in hoc sit, quòd ea recta ratione definita sint: non omnino qui in media aliqua est affectione, iam sic in ea est, ut ea ex recta ratione afficiantur, uel mediā similiter agant actionem. Neq; enim alioqui hoc eo modo in omnibus euenit. Non enim

quòd

quòd ex ea quæ propter alicuius ex partibus est excessum, turpitudine, in eam quæ est per defectum, mutatur, fit primum multitudo. Absurdum est autem etiam dicere, cõuenienter eorum sententiæ, quibus sunt mediocritates seu medietates uirtutes, esse quoque uitij partem, uirtutem. Si ab audacia enim ac temeritate, quod exuperat ablatum fuerit, quę restat eius pars, fortitudo & animi magnitudo fuerit. Sed & fortitudinis si pars aliqua, quatenus timiditatem exuperat, ablata fuerit: eius quæ restat pars, est timiditas ac pusillanimitas. De his enim ipse quoq; satis sic dixit, ostendens omnem uitij partem esse uirtutem: omnem uirtutis, uirtutem. An nõ enim hæc erant, quæ per hunc uerborum contextum soluũtur? Non omnis autem animi mo- " tus, nec omnis actio medietatem seu medio- " critatem suscipit. Sunt enim nonnulla quæ " cum improbitate statim comprehensa ac con " iuncta sunt: cuiusmodi sunt, exultatio in alie " nis malis, impudentia, inuidia: & in actioni " bus, adulterium, furtum, homicidium. Om- " nia enim hæc & eiusmodi dicuntur, esse ma- " la: non autem eorum excessus, uel etiam defe " ctus. fieri ergo non potest ut in ijs se quis re- " ctè gerat: sed semper peccat. Neq; enim quod " bene est, in ijs est, nisi fortè id quod bene est, " in ijs sit, quomodo, & quando, & quantum "

fit

» sit mœchandum. Sed absolutè quoduis horũ
» facere, peccare est. Simile etiam si quis uelit,
» in eo quod est, iniuria afficere, & pusillo ab-
» iectoq; animo & intemperãtem esse, esse me-
» diocritatem, excessumq; & defectũ: sic enim
» erit excessus & defectus, medio critas: & exu-
» perationis exuperatio, defectusq;, defectus.
» Quemadmodum autem temperantiæ & ani
» mi magnitudinis nõ est excessus & defectus,
» quòd medium sit quodammodo summũ ac
» extremum: sic nec illorũ est mediocritas, nec
» excessus, nec defectus: sed quomodocunque
» fiãt, peccatur. Omnino enim nec excessus nec
» defectus est medietas: nec medietatis excessus
» & defectus. Per hæc enim non solũ prædictã
soluit dubitationẽ, sed etiã omnia quę aduer
sus hanc opinionem dubia moueri possunt.

Vtrum ut genus, uel ut totum uirtutum est uirtus. XXVIII

QVia ijs quidem, qui ut genus uirtutũ uirtutem prædicari dicunt, sequebatur absurdum, una perempta omnes perimi: prudẽtia enim perempta, nulla alia uirtus haberi potest: non sic autem genus se habere ad species, ut per unius speciei peremptionem, perimatur & ipsa, & aliæ species. Iis autẽ qui ut totum partium, sequebatur totum quidẽ de similarib. ipsi partib. uniuocè nõ prædicari:

ri:nõ enim de ſtatuæ capite,ſtatua,& eius ratio:cùm ſint aũt uirtutes à ſeinuicẽ differẽtes, uirtus de omnib.uniuocè prædicatur. Vel ſi totũ ꝙ eſt ſimilariũ partiũ,de partib.uniuocè prędicatur,oẽs aũt uirtutes ſunt ſibi inuicẽ ſimiles,ſiquidẽ quã acceperis ut perfectã:ſimiliter ex omnib.componitur,quę eſt ut ſimilaris,tota de unaquaq; prędicata fuerit uniuocè.Qui perfectã enim habet uirtutẽ, oẽs ſimiliter habet.Habens aũt ſimiliter oẽs, dicitur quãdoq; quidẽ ex fortitudine,aliquãdo autẽ ex tẽperantia agere:quòd in quib.eſt propriè tẽperãtia, in ijs licet omnib.ſimiliter agere: ſicut enim in corporib.quæ ex differentib.aliquib.mixta ſunt,id ꝙ mixtũ eſt, fit uniuerſo ſimilare: ſic in habitib.fit, & in uirtutib. quæ à ſeinuicẽ differũt,uirtutes,ꝙ hæc quidẽ illarũ,in his quibuſdã uerſetur, illa uerò in illis: ut ſe habere in naturalib. uirtutib. uidemus. hę enim in perfectione quę fit in unaquaq; ipſarũ, ad alias mixtiões uniuerſum ſimilare faciũt,ut fieri quidẽ uideatur ex unaquaq; ipſorũ operatione,quando circa ea fuerit,circa quæ imperfectæ & naturali erat fortitudini, uerbi gratia,eſſe. Non aũt ſecundũ eã ſolã,circa illa operatur. Quę cũ propter talẽ mixtionẽ ſint inter ſeinuicem ſimiles, meritò uirtus ęquiuocè prædicatur. Eas enim etiã propriè uirtutes dicimus.

Alius

Alius loci expositio ex tertio moralium Nicomachiorum, per quem ostendit, uitia non minus quam uirtutes esse in nostra potestate. XXIX

SI quis autem dicat, omnes id quod apparet bonum, desiderare: id autem uisum non esse in nostra potestate, sed qualis est unusquisq;, ei talem quoq; finem apparere. Si ergo unusquisq; habitus sibi sit quodammodo causa, sibi quoq; uisi quodammodo causa erit. Sed si nullus sibi ut malefaciat causa est, sed uel propter finis ignorationem hęc agit, per hæc, id quod optimum, sibi fore existimans: finis autem desiderium nõ est eiusmodi ut per se eligatur, sed à natura ingenerari oportet, ut uisum ijs quę uisum habent: uel si pulchrè iudicat, id quoq; quod est reuera bonum eliget: & is bono ingenio est à natura præditus, cui hoc pulchrè à natura datũ est. Quod enim est maximum & pulcherrimum, & quod ab alijs nec sumi nec disci potest, sed quale est, hoc etiã habitu bene & pulchrè in generatum esse, perfecta ac uera ingenij & naturę felicitas fuerit. An omnia quidẽ, id quod sibi apparet bonum, desiderare uerũ est: non est autem uerum, nos uisi non esse quodammodo dominos? Qualis enim est unusquisque, ei talis quoq; finis apparet. Habitus autem,

tem, per quem unusquisque nostrûm talis sit, nobis ipsis concausæ sumus: siquidem ex actionibus quidem habitus: sunt autem actiones in nostra potestate: inuoluntarium autem est, quod fit ui, et per ignorationē eorum quæ sunt in singulis. Ostēsum est enim, quod quæ ignorantes agunt & peccant, ut qui sint sibi causæ ignorantię, ea nec inuoluntaria, nec ab initio propter ignorantiam fiūt. Propter hāc ergo causam, nec quæ circa ebrietates peccantur, sunt inuoluntaria, licet ab ignorantibus fiant: sed quia, qui sunt ebrij, ipsi sibi ignorantię causa fuerunt, quæ est propter ebrietatem, nō in inuoluntarijs peccatis hæc ponuntur. Pittacus Mitylenæus, duplices ijs pœnas ac mulctas statuit, qui propter ebrietatem peccant. Quæ enim eorum quæ peccantur causam habent, id scilicet quod est uoluntarium, & quod est in nostra potestate, fuerint eadem & inuoluntaria, & non in nostra potestate. Sicut autem eorum quæ propter ebrietatē ignorantur, qui ebrij sunt, causa sunt: sic & eorum quæ propter honestorū & turpium ignorantiā peccantur, ij qui ignorant, causæ sunt: siquidem meliorum & deteriorum cognitio est in nostra potestate. Ii enim ea, propter negligentiam ignorant, quæ & legibus statuta sunt, & quæ à uiris, qui laudantur, fiunt: siquidem negligentem esse, est

in nostra potestate. Honestorum enim & utilium ignorantia generaliter, nõ inuolũtarij, sed improbitatis causa est. In quib. enim sunt uituperationes & supplicia, ea sunt uoluntaria. Propter talium autẽ ignorantiam, & absoluuntur, & puniuntur. Non sunt ergo hæc eorum qui ignorant, inuoluntaria: nec eorũ quę ui fieri dicuntur, est in nobis principium. Qui enim dum à uoluptate superatur, & cogitur, cùm in se habeat principium, ut ad ea moueatur, propter uoluptatem facit, nõ talis uis causa exterius quæsita, nẽpe per eam quę fit in singulis actionem, seipsum assuefaciens uinci à uoluptate: siquidem uis est eorũ, quorum principium & causa foris est, nihil nobis ad ea quæ per ipsam fiunt, cõferentibus. Qui autem agendi, quæ agit, in se principium habet, & de ijs quoq; habet deliberandi potestatem, is eorum quę sic peccantur, nõ habet uiolentam causam. Cùm sit autẽ, ut dictum est, inuoluntariũ, id q̊d prius dictum est: uoluntarium id est, cuius principiũ in nobis est, scientibus singularia, in quibus est actio. Neq; enim qui eorũ quæ geruntur, in se habet principiũ & causam, ui hæc agit. Neq; qui scit singularia, in quib. & per quæ est actio, per ignorantiam hæc agit. Quare si sunt inuoluntaria, quæ uel ui, uel per ignorantiam: eorum autem quæ cum geruntur, in nobis est principium,

pium,& singularia cognoscuntur, ea nec ui, nec per ignorantiam, nec inuoluntaria fuerint. Quod si non ita, fuerint uolũtaria. Quare & quæ per iram & cupiditatem geruntur, sunt inuoluntaria. Est enim in nobis principium eorum quæ hoc modo fiunt. Præterea autem si quæ per hæc fiunt, sunt inuoluntaria: nullum rationis expers animal, nec puerullus sponte ac uoluntariè quid facit. Per aliquid enim eorum fiunt omnia, quę ab ipsis fiunt. Præterea autem, multa etiam honesta per hæc fiunt. Ad hæc autem si absurdum est inuoluntaria dicere, quæ ex ratione fiunt: ex ratione autem & quædam appetimus, & quibusdam succensemus: inuoluntaria non fuerint, quæ ita fiunt. Cum sint autem uoluntaria omnia quæ sic fiũt, ex uoluntarijs ea id habent, quod in nostra est potestate, quæcunque sunt ex eligendis, & ex electione fiunt: & quidquid fit ex electione, cum ratione fit & electione. Quare electio quoque esse uidetur quid spontaneum, ac uoluntarium præconsultum. In ijs enim quæ sunt consultanda, uersatur electio. Consultanda autem, sunt, de quibus est consilium & consultare. Consultat autem nullum aliud animal, præter hominem. Consultamus autem non de æternis, & eodem modo semper se habentibus: neq; de ijs quæ fiunt quidem,

ſemper autem & ſimiliter fiunt, & ordine pręfinito, ut ſunt ortus & occaſus, & conuerſiones ac receſſus. neq; de iis quæ aliàs aliter fiunt, ut ſiccitatibus & imbribus: ſed nec de iis quæ à fortuna fiunt: ſed nec de omnibus, quę ab hominibus fiunt. Nemo enim eorum qui ſunt Athenis, conſultat, quomodo Scythæ optimè rempub. geſſerint. De iis autem quæ per nos poſſunt fieri, conſultamus. Cõſultantes enim, de iis conſultant, quæ per ſe agenda ſunt. Ea autem ſunt, quæ aliàs aliter facere poſſumus, quòd ea non habeamus definita, in quibus fiunt: ea autem ſunt, de quibus opinamur. Præterea conſilium capitur non de finibus, ſed de iis quæ ad fines pertinẽt. Quorum enim fines in conſultatione uerſantur, ut quæ ipſa agenda ſint, de iis cõſultatur, quę ad fines deducunt. Conſultamus enim, per quę nam ipſos aſſequi poterimus. Cùm, quę ſunt autem conſultanda, ſunt eiuſmodi, id eſt eligendum quod magis quàm alia conferens, & ad propoſitum finem deducens, præ cæteris iudicatum eſt. &, quę ex conſultandis conuenienter iis quæ ſunt potiora iudicata, actiones fiunt, eligendæ eæ demum ſunt, quę fiunt cum appetitione eiùs quod prius iudicatum eſt. Nõ enim ſufficit iudicium ad ea agenda, quæ iudicata ſunt: ſed etiam opus eſt appetitione. Quare electio etiam eſſe dicitur:
appeti-

appetitus consultatorius. Cùm sint aūt quæ ex electione fiunt, & uoluntaria, & in nostra potestate: ponatur aūt etiam habitus, qui in ijs quæ agenda sunt, cōsistunt, ex actionibus quæ in ijs existunt fieri, ex electione agentibus: per hęc positum fuerit, habitus quoq;, qui in ijs quæ sunt agenda, uersantur, esse & uolūtarios & in nostra potestate. Vt enim artium habitus, ex actionibus quæ per ipsos fiunt, acquirimus: sic etiam uirtutū habitus acquirimus, assueti honesta agere, uirtusq; in ea agendi habitu efficitur. Sicut etiam fabrilia faciunt, qui fabri fieri student. Sicut aūt in artibus est alius quidem alio natura melior ad propositæ artis assequendum habitū: nō tamen ijs quæ sunt secundū naturā, orbatus est, ad eam recipiendam & cōparandam: sic multo magis habet in uirtutibus, quanto etiā secundum naturam magis est hominibus uirtutum possessio, quàm artium. Si autem uirtutum, clarum quòd etiam uitiorum: siquidem per mores uirtutibus oppositos uitia cō stant. Quibus autem quę sunt opposita, in eorum sunt potestate, sunt ea quoq; quibus sunt opposita. Quare uerum est connexum quod dicit, si unusquisq; habitus sibi quodāmodo causa est, uisi quoq; sibi quodammodo causa erit. Si aūt uerum est, unumquemq; sibi habitus quodammodo causam esse: uerum est

etiam, nisi q̄d est de bonis & malis, unũquẽq; sibi quodammodo causam esse. Cùm hoc aũt hoc modo habeat, ei quoque q; mali sint sibi quodammodo talis habitus causæ, sequitur, ut sit in eorũ potestate quodammodo, ut eis quæ bona sunt, mala appareant. Non enim si finem ignorantes mali mala faciunt, ea etiam faciunt propter ignorantiam. Ostensum est enim, eorũ esse ignorantiam uoluntariã, qui sibi ignorantiæ causa sunt. Si enim per id q̄d malè agũt, etiam finẽ assequi posse sperare, in eorum est potestate: siquidem in eorũ est potestate bona cognoscere, & ea agere per quæ hæc fiũt. Ita enim quodammodo hominẽ natum esse oportet, qui uitiũ uel uirtutẽ suscepturus est: siquidẽ nõ quouis animal ea potest suscipere, sed solus homo. Non aũt si tali natura opus est ei q̄d hæc habiturũ est, iam etiam eum natura talem oculum habere oportet, quo ea iudicat quæ rectè iudicantur, & eliget bonum q̄d reuera bonũ est, quod est uirtus. Non enim sicut sensus, ita & uirtutes natura, sed sunt quidẽ ipsi sensus natura. Virtus autẽ ipsa nõ est natura: sed eam quidẽ suscipiendi facultas, ipsa est natura: ipsa aũt non est natura. Quare uirtus magis est natura, ut artes, non ut sensus. Sicut enim natura quidem inest, ut simus artium susceptores (nemo aũt fit natura artifex) eodem modo habet & in uirtu-

uirtutibus. Quare sentientē quidem uisum, nisi quis natura habeat, nunquam eum acquisierit. In uisu aūt qui est ex uirtute, non na sci oportet eum uisum habentem, sed aptum natura esse oportet, ut possit eum suscipere. Qui autem, eo quòd id conetur, eam facilè accipit, & natura ac ingenio bonus est, nō is est qui iam uirtutem habet, sed qui eam alio potest facilius suscipere. Quo quidem etiam modo in artibus se habere ostensum est.

Quomodo si ex contrarijs contraria fiunt, non erit ex iustitia quidem iniustitia, & in alijs uirtutibus ac uitijs eadem ratio. XXX

AN etiam hæc sic habent? Qui enim iustus fuerit, uel ex iniustitia in iustitiā mutatur, quæ est habitus iustitiæ contrarius, & ex ea quæ intercedit, constitutione. Nam etiam quæ ex his quæ intercedunt, in aliud contrarium mutantur, tanquam ex cōtrario, eo quod intercedit mutantur. Eo enim quòd id q̃d intercedit, sit utriusq; extremi quodam modo particeps, & neutrius perfectè, est uelu ti contrariorum eorum, inter quę intercedit. Et quando in alterum eorum mutatur, tanquam ex contrario ipso mutatur, quod ex ijs mutetur, quæ cùm intercedant, ipsum esse prohibent in eo, in quod mutatur. Si autem

quicquid mutatur in aliquem habitũ, ex priuatione illius habitus mutatur: talis autẽ priuatio est habitui contrarium, in quem est mutatio; iustitia & iniustitia ex contrarijs fiat, nẽ pe ex priuationibus. Nam & iustum fit priuatione iniusti, & iniustum similiter iusti. Si itaque materia, ex qua est propriè generatio, ea autem est substantiarũ, per se subsisteret, absque eo quòd esset cum aliqua forma: quæ absolutè fiunt, propriè fierent ex materia & priuatione: materia quidẽ ut subiecto, & sustinẽte: priuatione autem, ut contrario habitui, in quem est mutatio. Quoniam autem fieri nõ potest ut ulla materia sine forma aliqua subsistat: est enim informis ratione, & quòd contraria uicissim suscipiat: quoniam eius subsistentia semper est cum aliquo eorum in quæ alternis mutatur, quando in aliquam formã mutatur: clarum est, quòd in eius existens priuatione, in ipsam mutatur. Quoniam autem quæ est in priuatione eius in quod mutatur, est in aliqua alia forma, ea scilicet, in quã mutatur, contrariam formam habet, quatenus etiam ipsa ei fit mutatio. Eo enim quòd fieri non potest ut maneat, mutata in id in quod mutatur, ea ratione id formam cõmutat. Hæ autem formæ sunt contrariæ, in quibus est, et esse potest, id quod est in aliquorum priuatione. Et ideo principaliter quidem ex priuatio

ne & contrarietate, quæ est ut priuatio, estq;, propriè est generatio. Iam autem etiam ex cōtrarijs formis, in quibus existit, ante eam quę est eis in contraria mutationem, non potest nō mutata mutari ex ijs in formam, in quam mutatur. Quando ergo fuerint habitus & cōtrarietates in seinuicem facilè mutabiles, etiā ex contrarijs formis fuerit mutatio ijs quæ in aliquid mutantur, sicut etiam ex priuatione eius in quod mutatur. Quando autem fuerint contraria eiusmodi ut permaneāt, & nō facilè mutentur, generationes talibus ex priuatione fiunt, utpote ex utrisq; ijs quæ intercedunt, tanquam sint & ipsa cōtraria, formis, in quas fit mutatio. Mutantur autem, quæ fiunt. Quæ autem eorum quæ per alteratione, auctionem, & diminutionem, & per locum mutantur, mutatio est, cum sit generatio, est quædam generatio, sed non generatio absolutè ex contrarijs. Quæ est autem per substantiam, non ex contrarijs, sed ex ea oppositione, quæ est secundum conditionem.

t 5

FINIS.

LECTORI TYPOGRAphus.

Libuit hoc loco subijcere Aristotelis uitam ex monimentis Ioannis Grammatici cognomento Philoponi desumptam. neq; enim uel melius, uel gratius tibi futurum putabamus, uacuas aliquot pagellas relinquere.

ARISTOTELIS VITA.

FVit Aristoteles genere Macedo, urbe Stageiris, filius Nicomachi, qui Amyntæ Macedoniæ regi medicam præstitit operam. ob eamq; rem filium, quem suscepit, ut patris memoriam renouaret, Nicomachum appellauit, ad quem item Nicomacheia scripsit. Matre Phæstide, qui ambo genus ab Aesculapio trahebant. cuius quidem rei fidem facit epigramma in Aristotelem his uerbis factum,

Matre creatur Phæstide, Nicomachoq; parente,
Stirpe Asclepiadon, diuus Aristoteles.

Post parentum obitum à quodam qui publico Aternensium nomine peregrinos hospitio excipiebat, educatur. cuius dein officij memor, non modò filium eius Nicanora enutriuit, & omni liberali instituit doctrina, sed etiam ut uerum & germanum tractauit. Quin etiam ante mortem testamento cauit, ut filia Pythais in matrimonium eidem Nicanori locare-

caretur. Cum adhuc adolescens esset, omni ingenuarum artium scientia excultus fuit. Quod satis declarant commentarij, quibus res poeticas complexus est, & scripta quæ in poetas edidit: Homericæ item quæstiones, & libri artis Rhetoricæ. Annos XVII natus, uoce Pythię, qua philosophari iubebatur, Athenas mittitur, ubi cum Socrate treis annos coniunctissimè uixit. quo extincto, ad amicitiam Platonis se contulit, qui cum XX annos magno familiaritatis usu coniunctus fuit: eamq; diligentiam & industriam ad disciplinas percipiendas adhibuit, ut Plato illius ædeis non aliter appellarit, atque ædeis lectoris. Neque uerò fides habenda ijs qui existimant, Aristotelem aperuisse Lycęum cõtra Platonem adhuc superstitem. Quî enim hoc potuisset? cum Chabria & Timotheus Atticarum copiarũ duces, opibus magnaq; potentia Athenis florerent, & Platoni arcta necessitudine coniuncti essent. Sed non desunt qui tradãt, ab Aristotele Lycęum constitutũ, in humanis adhuc agente Platone, ut multas hominis sententias conuelleret. Ad quos respondere satis habemus, nõ simpliciter quicquam contra Platonem statui, sed contra eos qui Platonica decreta minus perspecta haberẽt. Attamẽ si quid contra eũ profertur, non

absur-

absurdum iudicari debet, cum in hac ipsa philosophandi ratione nihil discrepet ab ijs quę Plato senserit. illius enim uox est, Magis conuenire nos de ueritate solicitos esse, quàm de quauis alia re. Quinetiam ad uerbum ita scribit: Amicus quidem Socrates, sed ueritas amicissima. Et alibi: Socratis, inquit, parua cura agenda est, ueritatis autem magna. Hoc idem institutum Aristoteles tenuit, monimẽtaq; Platonica immutanda censuit, cum & in huiusmodi consilio ab illo nõ discrepet: quippe qui ueritatis decus nõ contempserit, cum tamẽ mirifico studio, egregiaq; uolũtate Aristotelem fuisse ergà Platonem constet ex ara, quam ei cõsecrauit hac inscriptione,

Ponit Aristoteles pius hoc altare Platoni,
Quem laudare nefas ora profana foret.

Cum Platone multis officijs, & magna familiaritate XX annos coniunctus fuit. post cuius obitum ita euenit, ut Speusippus sororis Potones filius scholam teneret, docẽdiq; munus susciperet: Aristoteles autem in Macedoniæ urbem succederet, quò loci alumnum disciplinæ suæ Alexandrum cõditorem habuit, magnaq; autoritate in eius regno perstitit. Nam apud regem opibus & gratia florentissimus fuit, plurimaq; opportunè impetrauit. nam multa studia & officia in singulos priuatim, & in uniuersos publicè contulit. Declarant

rant epiſtolæ commendatitiæ, quæ ad regem ſcriptæ ſub illius nomine feruntur, & patria Stageira: quæ cum euerſa eſſet, auctor fuit ut ab eodē ipſo inſtauraretur. Quapropter Stageiritæ Ariſtoteli feſtum celebrant, quod Ariſtoteleum nominant: & menſem in quo dies feſto dicatus eſt, Stageiritem appellant. Ereſſus quoq; Theophraſti patria, quam cum Alexander grauiter uindicare cogitaret, periculo liberata eſt. Dein cum Speuſippus è uita exceſsiſſet, Athenienſes Ariſtotelem ad ſe inuitant, ac unà cum Xenocrate ſcholæ Platonis præficitur. Xenocrates igitur in Academia docebat, Ariſtoteles in Lyceo. Ac nō longo interuallo cum Athenæ defeciſſent, Ariſtoteles in Chalcida nauigauit, illud uſurpans: Non patior Athenienſes, in philoſophiam ſemel ac iterum uos peccare. Iam enim Socratē è medio ſuſtulerant. nec diſſimulauit iudiciū ſuum apud Antipatrū, quàm difficile & multi operis eſſet, Athenis agere, carmē illud Homeri referens,

Inq; piris pira, ficis fici molle ſeneſcunt.

Ita peruerſitatem morum Athenienſium indicabat. Macedoniam repetijt, ubi gratia & auctoritate apud reges, qui prouinciam illam tenebant, plurimū ualuit, apud Alexandrum & matrem Olympiada, apud Antipatrum, apud Philippum. Ad Alexandrum de regno librum

brum scripsit, in quo præcepta de regno administrando ei dat. Quinetiam se comitẽ regi adiunxit in intimos Brachmanas proficiscenti, ubi etiam opus confecit, in quo memoriam CCLV. rerumpub. colligauit. Illũ quoque secutus est contra Persas mouentem. ubi cum bellum exortum esset, & Alexãder mortem obijsset, in patriam reuertit. Morum summam coluit moderationem. In philosophia captum excesit humanum, cum nullam partem eius disciplinæ imperfectam explicatione reliquerit sua: immo propria fretus solertia, cum pleraq; adiecisset, uniuersam philosophiam castigauit, optimisq; instruxit præceptis. Magnam item accesionem fecit ad artem differendi, quãdoquidem ab ipsis rebus normas præceptaq; secreuit, & demonstrandi rationẽ cum uia instituit. nam superioris memoriæ Philosophi demonstrare quidem, ac euidentibus probationibus uti sciebãt: sed demonstrare, ac euidenteis probationes conficere ignorabant. atq; idem illis usu ueniebat, quod sutoribus qui coria secare non queunt, calceis autem uti probè queunt. Rerum naturalium indagationi quintã addidit naturam. Diuinarum contemplationi, quamuis nihil eiusmodi adiecerit, attamen ita docuit, ut nihil, quatenus causa ferret, prætermiserit. Siquidem tantum abest, ut dũtaxat quæ,
intra

intra orbem continentur, quemadmodũ nõ nulli existimãt, comperta habuerit, ut etiam quæ supra orbem habentur, probe tenuisse affirmemus. quod quidem idem ipse Aristoteles probat octauo Naturalis auscultationis libro: Princeps, inquit, causa neq; per se, neq; ex accidenti motu cietur. Atq; ex hoc nimirũ planum facit, Deum neq; corpus, neq; patibilem esse. Vniuersum uitę tempus quod uixit, LXIII annorum numero describitur. Cum enim XVII ageret annum, Socrati operam dare cœpit: quo prçceptore usus est triennio: in intimis & necessarijs Platonis XX annos fuit. à cuius obitu XXIII annos uixit.

FINIS.

BASILEAE, PER IOANNEM Oporinum, Anno Salutis M.D.XLVIII. Mense Martio.